EX MUNIFICENTIA
FERDINANDI III. M. E. D.
DIE 3. IUNII 1791.

XXX 611
1797
Digitized by Google

9. 7. 385.

7

Digitized by Google

Digitized by Google

EXAMEN
JURIS PUBLICI
GERMANICI NOVISSIMI
JUXTA IMPERII LEGES FUNDAMENTALES, SIGILLATIM
CAPITULATIONEM IMP. JOSEPHI
& inſtrumentum Pacis Weſtphalicæ
PER
GENERALIA AXIOMATA
ADORNATUM
CUM SUPPLEMENTO NOVORUM CAPITUM
DE
JURE PUBLICO CEREMONIALI,
Politica conſideratione ſtructuræ Imperii;
& Ratione Status Germanici.
IN USUM ACADEMICAE JUVENTUTIS EDITUM
A
JACOBO BRUNNEMANNO,
JC. Aſſeſſore Scabinatus Regii in Pomerania
Pruſſica & Syndico Provinciali.



EDITIO QUARTA EMENDATIOR.

HALAE MAGDEBURGICAE,
PROSTAT IN ORPHANOTROPHEO M DCC XXXVII.

Digitized by Google

PRAEFATIO
AD LECTOREM.

OCto, & quod excurrit, anni jam præterlapſi ſunt, cum clementiſſimo juſſu Sacræ Regiæ Majeſtatis Boruſſicæ in Alma Fridericiana Profeſſionem Juris ſuſciperem; Huic vero muneri pro viribus ſatisfacturus inter alias occupationes Academicas, nobiliores ma-

terias Juris publici ventilantes in Cathedram deduxi. Quanquam autem eo tempore nulla alia mihi fuerit intentio, quam ut commodo nobiliſſimorum quorundam Juvenum, qui ſub meo præſidio periculum profectuum in hac illuſtri diſciplina, in Cathedra facere decreverant, velificarer; Nihilominus poſtea, precibus Bibliopolæ permotus, haſce XII Diſputationes uno faſciculo ſub titulo Jurisprudentiæ publicæ edi paſſus ſum, licet opuſculum iſtud ſyſtematici in hoc ge-

genere libelli menſuram haud adimpleret, quippe in quo, præteritis licet illis, quæ vulgatioris argumenti videbantur, omnia capita Juris publici diſcuſſa haud eſſe, lubens fateor, & præterea more Diſſertationum, in diſciplinas Juri Publico ſaltem adminiculantes, *Hiſtoriam* ſcilicet, *Studium Genealogicum* & *Heraldicum*, prolixius excurrere non licuit. Interim cum nihilominus pleraque Exemplaria jam ſint diſtracta, in compendio præſenti repetere libuit, quæ potiſſimum fun-

damenti loco cupidis Juris publici cultoribus neceſſaria mihi viſa ſunt. Sicuti enim in ſtudio juris privati nulla ſecurior via eſt, qua ad ſcopum deduci poſſint induſtrii legum cultores, quam ſi ad fontes legum manu ducantur: ita pariter in jure publico procedendum, ne per varias Dd. diſſentientium opiniones diſtrahantur ingenia, ſed mox ex ipſis Legum publicarum ſanctionibus oſtendatur, quorſum in cauſis principum decidendis recurrendum ſit, & cui ſententiæ ſecure ſubſcribere valeant.

valeant. Atqui vero hoc non ex incertis hiſtoriarum monumentis, in quibus alter alteri quotidie contradicit, ſed ex ipſis Legibus Imperii fundamentalib9 petendum, ad quarum obſervantiam ſolenni juramento in ſua Capitulatione aliquoties adſtringitur Imperator; ut eapropter his legibus probe cognitis, non facile errare poſſit, ſi caſus publici juris decidendus occurrat. Hunc in finem, cum ex Academia Fridericiana ad publicam in patria mea functionem obeundam evocatus ſim, in

gratiam cultorum juris publici libellum hunc conſcribere libuit, ut ita ſimplici quadam via ad Legum fundamentalium cognitionem pervenire,& per methodum Examinis memoriæ ſuæ eo commodius conſulere posſint. Nihil hic occurrit, niſi quod in ipſis rerum obtinet argumentis: Hinc otioſas quorundam Publiciſtarum controverſias ad nauſeam usque tractatas, ne tangere quidem libuit, quorſum illæ pertinent: *An jus publicum in Academiis tractandum ſit? An dentur quatuor Mo-*

narchiæ? An imperium Romanum ſit quarta Monarchia? An illa ad finem ſeculi duratura ſit? Ubi natus Carolus M.? An Germania ipſius patria ſit? An ille Grammaticam Germanicam ſcripſerit? it. *An ventis & menſibus nomina germanica impoſuerit?* & plures aliæ, quarum læta ſeges apud juris publici Doctores Arumæum, Limnæum, Schüzium aliosque deprehenditur. A te, lector benevole, ſi candidus es, inſtituti veniam mihi facile polliceor; Iniquorum cenſuras malevolas nihili facio. DEUM vero O. M. rogo, ut porro laboribus meis adſit, & in ſui honorem, Reique publicæ ſalutem vergere ſinat.

INDEX GENERALIS LIBRORUM ET CAPITUM.

LIBER I.

Caput I.
De Jure Publico Romano-Germanico in genere.

Caput II.
De Juris Publici Principiis Propriis, Legibus Fundamentalibus & earum Indole.

Caput III.
De Capitulationibus Imperatoriis.

Caput IV.
De Aurea Bulla.

Digitized by Google

Caput V.

De Receſſibus Imperii.

Caput VI.

De Pace Profana, Religioſa & Weſtphalica.

Caput VII.

De Habitu Legum privatarum ad Jus Publicum.

LIBER II.

Caput I.

De Imperatoris Electione & Coronatione.

Caput II.

De Imperatoris Juribus intuitu totius Imperii & Ejus Reſervatis.

Caput III.

De Majeſtate & Dignitate Imperatoris.

Caput IV.

De Modis quibus Imperator eſſe deſinit.

Caput V.

De *Imperatrice ſive Auguſta.*

Caput VI.

De Regis Romanorum Electione.

Caput VII.

De Vicariis Imperii.

LIBER III.

Caput I.

De Statibus Imperii, eorum Ordine

Digitized by Google

Ordine & matriculis Imperii.

Caput II.

De Juribus Collegii Electoralis ſingularibus.

Caput III.

De Superioritate Statuum Territoriali Eccleſiaſtica & Civili.

Caput IV.

De Succeſſione in Immediata Feuda Imperii.

Caput V.

De Tutela Perſonarum Illuſtrium.

Caput VI.

De Inveſtitura Feudorum Imperii.

Digitized by Google

Caput VII.

De Modis amittendi Superioritatem Territorialem.

LIBER IV.

Caput I.

De Comitiis Imperii Univerſalibus.

Caput II.

De Ordinariis & extraordinariis Imperii Deputationibus.

Caput III.

De Conventibus particularibus.

Caput IV.

De Circulis Imperii.

Caput

De Executione Decretorum Comitialium.

LIBER V.

Caput I.

De Judiciis Germaniæ Publicis.

Caput II.

De Judicio Auſtregario.

Caput. III.

De Judicio Camerali.

Caput IV.

De Judicio Aulico Imperatoris.

Caput V.

De Judicio Rothwilenſi.

LIBER

LIBER VI.

Caput I.

De Jure Publico Ceremoniali.

Caput II.

De Politica Conſideratione Structuræ Imperii.

Caput III.

De Ratione Status Imperii Germanici.

LIBER I.

CAPUT I.

DE

JURE PUBLICO ROMANO-GERMANICO IN GENERE.

Generalia Axiomata hujus Capitis.

1. Jus Publicum in *diffuſam* & *notabilem* doctrinam, præ *aliis Regnis*, de quorum ſtatu publico ſat *tenues* tantum *deſcriptiones*, ſæpius non ſine periculo ſcribentium, extant, evaſit in Germania, quia ibi *Varii Co-Imperantes* diverſorum jurium & conditionum, quorum Intereſſe hoc libenter permittit.
2. Carolus M. An. 800. poſt natum Chr. primus reſtauravit *titulum & jus Imperatoris Romani* in Occidente. Non vero Germaniæ propterea jus ad illam dignitatem quæſitum eſt, quia illa erat ſaltem *Portio Imperii Carolini* eo tempore.
3. Aſt ſub Ottone M. Regno Germaniæ jam antea a *Francia Occidentali* legitime ſeparato & ſui juris, æterno fœdere acceſſit *Regnum Longobardicum* & titulus ac jus in *Romani Imperii reliquias occidentales*.
4. Artibus vero Papalibus *Succeſſores Ottonum* pertæſi motuum Italicorum, *Dominii directi in Italiam effectus*, non, ut jure poterant, vindicarunt ſemper, juribus & poteſtate in Regno Germanico contenti.

Quæſtio I.

Quid eſt jus publicum Romano-Germanicum?

Reſp. Eſt complexus *Conventionum Publicarum*, principaliter ad ſtatum Reipublicæ Germanicæ politicum ejusque gubernationem & conſervationem ſpectantium. conf. Er. Maurit. *de Principiis Jur. Publ. c. 2. n. 2.*

2. *Quid eſt Jurisprudentia publica Romano-Germanica.*

Reſp. Conſiſtit illa in *habitu mentis* ſive prudentia Conventiones publicas Germanicas resque iis connexas rite *intelligendi* & *applicandi* ad communem Reipublicæ Romano-Germanicæ tranquillitatem & felicitatem.

3. *Differtne Jus Publicum Germanicum a Jure publico gentium ſive univerſali?*

Reſp. Omnino in eo, quia *Jus publicum univerſale*, quid in regimine Civitatum *omnium* vi juris naturalis fas & rectum ſit, ſeu *nexum inter imperantes & ſubditos*, citra peculiares conventiones, docet, quod perſpicue expoſuit Huberus *libris 3. de Jure Civitatis*. Jus *Publicum ſpeciale* vero, quid *inſuper* in quavis Republica de exercitio & reſtrictione jurium majeſtaticorum conventum ſit, explicat. *Confer. Autor Juris publ. prudentia Diſſ. 1. ʃ. 1.*

4. *Daturne etiam in aliis Regnis Jus Publicum?*

Reſp. In illis Regnis, ubi ordines in *conſortium Regiminis ſummi* recepti, & exercitio jurium majeſtaticorum influxum præbent, uti in *Anglia* & *Polonia*, hoc aſſeri poteſt, quemadmo-

modum etiam *Jus publicum Regni Poloniarum* editum eſt a *Chwalkowskio;* & quamvis non eodem titulo, tamen eadem ſignificatione de *ſtatu Angliæ* ſcripſerunt, *Chamberlain*, *Schmith* aliique.

5. Quare vero non extat Jus publicum Hiſpaniæ, Sueciæ, *) *Galliæ, Daniæ, Muſcoviæ?*

Reſp. In his Regnis *hodie* ordines a regimine publico plane excluſi ſunt, aut ſaltem pro talibus *ibi* publice reputantur. Hinc ibi jus publicum evulgare velle, res valde delicata, nec fortaſſe *citra crimen* foret. Sic ſtatu Gallico in purum monarchicum ſub Ludovico XIII. degenerante, prohibuit hic ſevere quicquam de poteſtate Regis ſcribere. Limn. *J. P. tom. 4. addit. ad Cap. 2. n. 1.* Habes hic cauſam, cur *Jus publicum ſpecialiſſimum* ſive Deſcriptiones Regiminis particularis territoriorum & reverſalium cum ſtatibus *æque raro* compareant in Imperio noſtro, ut iſta inter Anecdota merito referenda ſint. conf. Dn. Hertii *Diſſ. de Regimine Territor. partic.*

*) Sueciæ ius publicum nunc extat omnino, ex quo poſt fata Caroli XII. R. forma regiminis abſoluti iterum mutata & ordinum regni ſuffragiis temeprata fuit in comitiis Holmienſ. a. 1719.

6. Quæ itaque cauſa, cur Jus publicum in Germania adeo libere excolatur?

Cum in tam vaſto corpore imperii, uti Germania eſt, per immemorialem obſervantiam & ſanctiones fundamentales, Status *Co-Imperantes* ſint, Ratio ſtatus eorum exegit, iu-

ra capitis & membrorum accuratius *ſeparare* ac *vindicare*. Huberus *in Auſpic. Domeſt. Orat. 3. p. 131.* & quo laxior imperandi vis inter illum, qui caput repræſentat in civitate, & ejusdem ordines, eo amplior etiam materia, diverſa utriusque iura & *mutuam neceſſariamque renitentiam* delineandi.

7. *Quomodo vero differt jus pub. a politica?*

Reſp. *Politica* actiones publicas dirigit *caute* ad felicitatem civilem, adeoque docet, quæ *ex uſu* ſunt, nititurque *notitia humani generis* ejusque *affectuum*, & inde fluente indole negotiorum ſocialium & civilium. *Juris* vero *publici* eſt, ut facultas ejus, quod ſingulis in Republica ordinibus competit, *recte* tribuatur, & juſtitia *inde* reſultans in omni regimine civitatis cuſtodiatur.

8. *Num jus publ. in Germania ab omni tempore æquale aut idem quod hodie fuit?*

Reſp. Quodnam fuerit a *primis initiis* Gentis Teutonicæ usque ad *Regnum Francorum*; & a primordiis *Regni Francici* usque ad *Carolum M.* id non adeo in aprico eſt, nec ad ſolidiorem cognitionem juris publ. hodierni hauriendam, ſcire maximopere intereſt. Prout etiam modicum lucis hic fœnerari licet ex hiſtoria a *Caroli M.* temporibus usque ad *Ludovicum Germanicum*, & ab hoc usque ad *Ottonem M.* niſi quod usque ad tempora *Conradi I.* ſtrictius regimen obſervetur, non tamen ſupra libertatem, ſub hoc vero incipit *periodus Feudorum oblato-*

lato-

latorum Superioritatis Territorialis, quæ poſtea varia fata experta, donec Pace Weſtphalica in tuto collocata eſt. conf. *Differt. noſtr. de Fœderibus Principum Imperii cum exteris.*

9. Quis primus Imperium Romanum occidentale reſtauravit?

Reſp. Carolus M. qui in Occidente, ſub fin. Sec. VIII. & initio Seculi IX. limites Regni Francorum longe lateque extendit, validiſſimas gentes, *Bojoaricam* & *Saxonicam* ſubjugando. B. Rhet. *Inſt. P. L. 1. tit. 2. §. 7.* ac *Italiam* cum axiomate *Imperii Romani* cum Regno Francico conjunxit. vid. Conring. *de Finibus Imp. Cap. 2. ſeqv.*

10. Carolus M. nonne Germanus fuit natione?

Reſp. Ita acriter ſolet hoc communiter aſſeri, ac ſi conclamatum eſſet cum rebus Imperii contra Gallos, niſi hoc aſſeratur. Specioſa attulit B. Kulpiſ. ad *Monzamb. cap. 2. §. 6.* Verum ſi etiam Gallis concederetur, fuiſſe Carolum M. *Franco-Gallum*, propterea tamen nullæ ipſis ſuperſunt in Imperium noſtrum legitimæ prætenſiones. Nam Germania poſt Caroli M. obitum ſub Rege ſuo *Ludovico Germanico* in *proprium ſuique juris* Regnum ſe compoſuit, nec *unquam poſtea* reliquæ Franciæ acceſſit, quod ſolide deductum eſt a B. Schurtzfleiſchio *Diſſ. de Diviſione Imperii Carolini.* add. Conring. *de Germanorum Imperio Romano cap. 9. § 8.* Quare *Dignitatis Imperialis translatio ad Germanos* adſcribenda eſt OTTONI M. qui juſto & ſolenni

pacto cum Pontif. Max. & S. P. Q. R. inito, Imperium Occidentis *æterno fœdere cum Germania* conjunxit; ita ut *Quicunque legitimo modo Germaniæ & per conſequens Italiæ Rex ſit factus, eo ipſo quoque, ſine novo Romanorum conſenſu, Cæſaream dignitatem & jus ſummum in Romam, ac ceteras Imperii Occidentis reliquias, habeat.* Quod pactum quamvis aliquantiſper mutilatum, Juri Canonico in *Canone XXIII. Diſtinct. LXIII.* inſertum eſt. add. Conring. *de Finibus Imperii cap. 9.* & *de G. I. R. cap. 10.*

11. Rectene Reſpublica Germaniæ Imperium Romanum vocatur.

Reſp. Contra *Blondellum*, hoc negantem, evincere hoc conatur Bœclerus *integra Diſſ. ſub tit. Sacrum Romanum Imperium.* Cujus rationes tamen magis Rhetoricam ſapiunt, quam fundamenta juris. Interim Titulus Romani Imperii Germaniæ, ob jus in reliquias Imperii Romani, merito vindicatur.

12. Quando Regno Germaniæ titulus Imperii Romani acceſſit?

Reſp. Hunc demum Seculo XI. Cæſari Ordinibusque placuiſſe, conjicit Conring. *de G. J. R. c. 17.* Ævo *Carolino* autem jam in uſu fuiſſe, contendit Bœcler. *dict. Diſſ. ſect. 2.* quo & pertinent Diplomata apud Mabillonium *de Re Diplomatica L. 2. c. 3.* Conſtans tamen uſus ab Ottone M. repetendus eſt, qui ſub elogio Imperatoris & Imperii Romani comprehendit, quicquid

quid eo tempore Regimen Germanicum complectebatur. add. *Pac. a Lap. ad Monz diſcurſ. 6.* §. 22. Maximilianus I. autem titulum novum *Germaniæ Regis* adjecit, ut indigitaret, Germanorum Regnum a reliquiis Imperii Romani diſtinctum eſſe, licet ab uno Imperatore regantur. Conring. *d. l. c. 12.*

13. Nonne vero glorioſius fuiſſet titulum Imperatoris Germanici loco Romani aſſumere?

Reſp. Germani optimo jure a tempore Ottonis M. ob ſubjugatam Romam & vindicatum jus in reliquias imperii Occidentis, propria Elogia reliquis anteferre, aut eadem, *Titulo Imperatoris Germanici* omnibus ſuis Regnis applicare potuiſſent. Verum veneratio nominis Romani illis temporibus ad ſuperſtitionem ingens, haud dubie in cauſa fuit, ut nomini *Civitatis devictæ* proprios Titulos Germani poſtpoſuerint.

14. Imperium Romano-Germanicum nonne olim plures Provincias complexum eſt, quam hodie?

Reſp. Omnino. Nam ejusdem *jus* & *prætenſiones* in Regnum *Arelatenſe* & ſub hoc comprehenſas, *Provinciam* & *Delphinatum*; in *Sabaudiam* & *Pedemontium*, *Burgundiam minorem*, Regnum *Lotharingicum*, *Helvetiam*, Regnum *Longobardicum*, *Patrimonium Petri* & nonnullas alias Provincias ſolide perſequitur Conringius *de Finibus Imperii.* Machinationibus vero Ponti-

 ficiis

ficiis uſus juris imperii in Italiam aliasque provincias ſatis exiguus per aliquot ſecula fuit; niſi quod ob præſentia Cæſaris & Imperii arma victricia in Italia, reviviſcere incipiant *effectus Dominii directi*, quod Imperio noſtro in Regnum *Longobardicum*, *Patrimonium Petri*, *Liguriam*, *Hetruriam* & tantum non omnes Italicas provincias competit. Quemadmodum & ſuperiore anno ſuſcepta proſcriptio *Ducis Mantuani* novum ſuppeditat documentum.

15. Quænam Adminicula agnoſcit ſtudium Juris Germanici?

Reſp. Ea ſunt (1) *Hiſtoria* Status Germanici a temporibus *Carolingorum*, ſaltem *Conradi I.* tam profana, quam ſacra. *J. P. Prud. Diſſ. 1. §. 19. usque 23.*

(2) cum hac conjuncta *Chronologia*;
(3) *Geographia* Imperii eiusdemq; finium;
(4) *Genealogia* Imperatorum & Statuum,
(5) & denique *Heraldica*, ſive doctrina Armorum & Inſignium illuſtrium.

Quæ omnia ex ſpecialibus diſciplinis, in quantum *adjuvant* & *ornant* diſciplinam Juris publici noſtri, huc derivari poſſunt, ceu pluribus expoſitum eſt in dicta *Differt. I.* conf. etiam B. Rachelius *in Otio Noviomagenſi, ſive in Introductione ad Jus publicum, Neomagi, ab ipſo tanquam Legato Holſatico edita.*

CAPUT

CAPUT II.
DE
JURIS PUBLICI PRINCIPIIS PROPRIIS.
Scilicet
Legibus Imperii fundamentalibus & earum Indole.

GENERALIA AXIOMATA.

1. Totum Jus publicum noſtrum *conventionale* & *pactitium* eſt.
2. Omnium pactorum natura alteratur, ſi res in *eodem ſtatu non maneat.*
3. Leges imperii vetuſtiores *interpretandæ* ſunt ex *recentioribus*, diverſum ſtatum Imperii inducentibus.
4. Principum & Legatorum *orationes* & *propoſitiones* in Comitiis & id genus alia ad leges publicas non pertinent.

Quæſtio I.
Quid ſunt leges fundamentales?

Reſp. Pacta publica, quæ verſantur circa *ſtatum* Civitatis Germanicæ eiusque *imperantes*.

2. *Quænam eſt earum origo?*

Reſp. Primordia ex indole gentis Teutonicæ, ab abſoluto imperio *unius* conſtanter abhorrentis, incidunt in tempora, ubi maxima pars populorum Garmaniæ in unam rempublicam coaluit. Cujus rei duæ ſolennes *Epochæ* conſtitui poſſunt. Una *Clodovæi M.* altera *Caroli M.* quo extincto, & poſtea Imperio Carolino diviſo, Procerum de ſumma Reipubli-

cæ participandi amor, ſucceſſu temporis, inprimis ſub *Ludovico Germanico*, magis ſe exſeruit. B. Schilter. *Inſt. Jur. publ. L. 1. tit. 15.*

3. Quæ fuit indoles legum fundamentalium huius ævi?

Reſp. Illæ citra dubium *in tacita conventione* quadam vel obſervantia, quod Proceres Reipublicæ a *Comitiis & ſumma rerum* non debeant eſſe excluſi, conſtiterunt. *Id. cit. l. Tit. 2. ʃ. 3.*

4. Unde probatur illa vetuſta Statuum libertas?

Reſp. Quod Proceres tam *Eccleſiaſtici* quam *Seculares* ad comitia vocati & leges publicæ ad *eorum conſenſum* adſtrictæ fuerint, ex legibus *Salica*, *Alemannorum*, *Bavariorum*, *Capitularibus Francorum* a Baluzio, Lindenbrogio & aliis collectis. add. ill. Dn. Coc. *Jur. Prud. publ. c. 8. §. 8.* & ex *obſervantia imperii vetuſta*, ſatis probari poteſt.

5. Quid eſt obſervantia Imperialis, oder das Reichs-herkommen.

Reſp. Tacita Conventio a *Capite* & *Membris* Imperii, vel interdum *his ſolis*, diuturno uſu introducta, qua varia totius Imperii vel Statuum res, nec non *operandi modum* concernentia, determinantur. add. B. Kulpiſii *Diſſ. de Obſervantia Imperiali.*

6. Danturne præter hanc obſervantiam Imperialem & Leges fundamentales ſcriptæ?

Reſp. Quia ſtatus Imperii ſæpius mutatus, alium

alium agendi modum etiam exegit; hinc præter obſervantiam imperialem, ſæpius in utramque partem allegatam & lubricam *Conventiones publicæ*, ſub variis appellationibus ſuperadditæ fuerunt.

7. *Quænam potiores ſunt Leges publicæ ſcriptæ?*
Reſp. I. *Capitula* originis *vetuſtioris*, novioris autem & *Capitulationes* Cæſareæ.
II. *Aurea Bulla* Caroli IV. Imp.
III. *Receſſus Imperii* in Comitiis conditi.
IV. Pax *Publica*, *Religioſa* & *Weſtphalica*.

8. *Quomodo illæ Leges in Imperio conditæ ſunt?*
Reſp. Quoniam Status cum Imperatore *Co-Imperantes* ſunt, per modum *conventionis* & *pacti*. Omnia capitulationum a Carolo V, usque Joſephum procemia, hoc teſtantur; ibi: Daß wir uns demnach aus freyen Willen, mit denſelben unſern lieben Neven, Oheimen und Churfürſten dieſer nachfolgenden Articul, Geding und *Pacts* Weyſe vereiniget, vertragen, die angenommen, bewilliget und zugeſagt haben. add. ill. Dn. Stryk. *de negotiis capitulatione Cæſar. annullatis cap. I.*

9. *Sed quomodo conciliantur hæc cum imperioſis verbis imperatoris in multis Receſſibus:*
Wir gebiethen und wollen?
Reſp. Nudæ hæ formulæ ſunt, quæ antiquum ſtatum redolent & tantummodo ad *promulgationem* Cæſaream ſpectant. conf. Kulpiſ. *ill. Diſſ.* §. 29. quæ Schemata externa non poſſunt

ſunt prævalere illis, quæ in ipſis rerum argumentis obtinent.

10. In cujus poteſtate has leges interpretari, abrogare &c.?

Reſp. Cum Imperator & Status tanquam pares & *paciſcentes* circa illas concurrant, fluit inde eorum *æquale jus* circa *interpretationem, declarationem, mutationem* & *abrogationem*. add. *Inſtr. pac. art. 8. v. 1. 2. Capitul. Joſeph. art. 2.*

11. Leges veteres nonne per ſtatum hodiernum tacite mutantur?

Reſp. Cum ſtatus ſit qualitas, ſecundum quam jus variat, ſtatus imperii per *ſingula ſecula* fere mutatus, & mutationem Legum tacitam involvit. Exempla allata ſunt in *Diſſ. noſtr. de Mutatione A. Bullæ cap. 2. §. 5. ſequ.*

CAPUT III.
DE
CAPITULATIONIBUS IMPERATORIIS.

AXIOMATA GENERALIA HUJUS CAP.

1. Inter Leges Imp. publicas potiſſimæ ſunt *Capitulationes Cæſareæ.*
2. Ex hiſce de Imperatoris *poteſtate* & ſtatuum *Superioritate* tuto & perſpicue differi poteſt.
3. Ex Capitulationibus *obligatio univerſalis* reſultat, licet a *ſolis Electoribus hactenus* præſcriptæ illæ ſint.
4. Capitulationes hodiernæ perperam comparantur cum *Lege Regia* Romanorum.
5. In verbis Capitulationum; Wir ſollen und wollen, nil recon-

reconditi latet, quam pactitia indoles.

6. Electores quidem reliquos ſtatus in conſortium Capitulationis perpetuæ conficiendæ aſſumere cupiunt; ſalvo tamen ipſis jure adcapitulandi.

Quæſtio 1.

Quid ſunt Capitulationes Cæſareæ?

Reſp. Sunt *conventiones, quibus Imperatores vel Reges Romani, per Electorum ſuffragia deſignati, ante coronationis ſolennia ab Electoribus nomine totius Imperii obſtringuntur jurato, & futuri Imperatoris poteſtas ſtatui Reipublicæ Germanicæ attemperatur.*

2. *Quando hæ Capitulationes in Imperio ortæ ſunt?*

Reſp. Antiquiſſima ſunt *Capitula* illa, quibus ſuccedendi modum definiebant, & regendi jus temperabant, ab *initio* usq; Reipublicæ & ſub *Carolingis* & eorum *Succeſſoribus* Proceres Regni Germanici. conf. B. Schilt. *Inſt. J. P. L. 1. tit. 15.* & *J. P. Prud. Diſſ. II. §. 5. 6.* Periodus vero *ſolennium Capitulationum* incidit in electionem Caroli V.

3. *Quare Carolus V. primus eſt, cui ſolennis Capitulatio præſcripta?*

Reſp. Quoniam ille Hiſpaniæ & Indiæ occidentalis viribus pollebat, meta ipſi præſcripta eſt, ne Imperatoriam poteſtatem juſto latius extenderet. vid. Rachel. *eleg. Diſſ. de Capitulatione Cæſarea Cap. V. §. 5.*

4. *Continuatæne ſunt illæ usque ad hodiernum Imperatorem?*

Reſp. Affirm. & exhibet Capitulationes a Carolo V. usque Leopoldum cum commentario

ſunt prævalere illis, quæ in ipſis rerum argumentis obtinent.

10. In cujus poteſtate has leges interpretari, abrogare &c.?

Reſp. Cum Imperator & Status tanquam pares & *paciſcentes* circa illas concurrant, fluit inde eorum *æquale jus* circa *interpretationem*, *declarationem*, *mutationem* & *abrogationem*. add. *Inſtr. pac. art. 8. v. 1. 2. Capitul. Joſeph. art. 2.*

11. Leges veteres nonne per ſtatum hodiernum tacite mutantur?

Reſp. Cum ſtatus ſit qualitas, ſecundum quam jus variat, ſtatus imperii per *ſingula ſecula* fere mutatus, & mutationem Legum tacitam involvit. Exempla allata ſunt in *Diſſ. noſtr. de Mutatione A. Bullæ cap. 2. §. 5. ſequ.*

CAPUT III.
DE
CAPITULATIONIBUS IMPERATORIIS.

AXIOMATA GENERALIA HUJUS CAP.

1. Inter Leges Imp. publicas potiſſimæ ſunt *Capitulationes Cæſareæ.*
2. Ex hiſce de Imperatoris *poteſtate* & ſtatuum *Superioritate* tuto & perſpicue diſſeri poteſt.
3. Ex Capitulationibus *obligatio univerſalis* reſultat, licet a *ſolis Electoribus hactenus* præſcriptæ illæ ſint.
4. Capitulationes hodiernæ perperam comparantur cum *Lege Regia* Romanorum.
5. In verbis Capitulationum: **Wir ſollen und wollen**, nil recon-

reconditi latet, quam pactitia indoles.

6. Electores quidem reliquos ſtatus in conſortium Capitulationis perpetuæ conficiendæ aſſumere cupiunt; ſalvo tamen ipſis jure adcapitulandi.

Quæſtio 1.

Quid ſunt Capitulationes Cæſareæ?

Reſp. Sunt *conventiones, quibus Imperatores vel Reges Romani, per Electorum ſuffragia deſignati, ante coronationis ſolennia ab Electoribus nomine totius Imperii obſtringuntur jurato, & futuri Imperatoris poteſtas ſtatui Reipublicæ Germanicæ attemperatur.*

2. *Quando hæ Capitulationes in Imperio ortæ ſunt?*

Reſp. Antiquiſſima ſunt *Capitula* illa, quibus ſuccedendi modum definiebant, & regendi jus temperabant, ab *initio* usq; Reipublicæ & ſub *Carolingis* & eorum *Succeſſoribus* Proceres Regni Germanici. conf. B. Schilt. *Inſt. J. P. L. 1. tit. 15.* & *J. P. Prud. Diſſ. II. §. 5. 6.* Periodus vero *ſolennium Capitulationum* incidit in electionem Caroli V.

3. *Quare Carolus V. primus eſt, cui ſolennis Capitulatio præſcripta?*

Reſp. Quoniam ille Hiſpaniæ & Indiæ occidentalis viribus pollebat, meta ipſi præſcripta eſt, ne Imperatoriam poteſtatem juſto latius extenderet. vid. Rachel. *eleg. Diſſ. de Capitulatione Cæſarea Cap. V. §. 5.*

4. *Continuatæne ſunt illæ usque ad hodiernum Imperatorem?*

Reſp. Affirm. & exhibet Capitulationes a Carolo V. usque Leopoldum cum commentario

tario Limnæus. Cæterum quid *additum* & *immutatum* ſit in illis, uno obtutu perſpici poteſt in Müldeneri *Capitulatione Harmonica*, ita confecta, ut legendo Capitulationem *Joſephi*, IX. præcedentium contenta ſimul perſpici posſint.

5. *Soline Electores conficiendam curant Capitulationem?*

Reſp. Actis controverſia deſuper dudum orta eſt inter ipſos & reliquos Status. Electores manſerunt in *quieta poſſeſſione* exercitii huius iuris a tempore *Caroli V.* usque ad obitum *Rudolphi II.* & ſic per *integrum ſeculum.* In electione autem *Matthiæ* res iſthæc, quam hactenus Electores tanquam *portionem eſſentialem negotii electionis* habuerant, in diſceptationem venit. Tandem in *Pace Weſtphalica 1648. Art. VIII. §. habeantur* ſancitum eſt, ut *proximis Comitiis de certa conſtantique Cæſarea Capitulatione ex omnium Statuum conſenſu concipienda ageretur.*

6. *Num itaque feliciter in ſequentibus Comitiis controverſia illa compoſita eſt?*

Reſp. Minime, licet non ſine contentione animorum in proximis *Comitiis Ratisbonenſibus 1653.* negotium hoc ventilatum ſit, vid. *Aut.* der Grundt-feſte *P. 3. c. 3.* Electores quidem *conſentiebant in confectionem perpetuæ Capitulationis*, ſed ſibi reſervatum cupiebant, *jus ad-capitulandi* pro ratione ac ſtatu temporum. conf. Rachel. *in Otio Noviomag. Cap. 9. p. 45.* Müldener *in Capitul.*

Capitul. Harmon. in Append. & *Vitriarius illuſtratus L. I. tit.* 7.

7. *Num hoc temperamento controverſia hæc compoſita eſt?*

Reſp. Neg. Quia autem res ita exitum haud ſortita erat, & interim negotium Electionis *Ferdinandi IV.* incidebat, iure ſuo hactenus poſſeſſo uſi Electores, Capitulationem conficiendam curarunt, ordinibus reliquis indicantes, ſe eorum *monita* in futura Capitulatione non neglecturos eſſe. Idem poſtea Anno 1658. in Electione *Leopoldi* factum. Monita tamen omnia Statuum Electores Capitulationibus inſerere detrectarunt. Grundſ. *c. l.*

8. *In præſentibus Comitiis num etiam lis indeciſa manſit?*

Reſp. Initio præſentium Comitiorum 1663. negotium hoc delicatum iterum reaſſumptum eſt, & ſpes fuit 1664. rem confectum iri. Nam a Collegio Electorali *ſpecimen Capitulationis perpetuæ* reliquis Statibus exhibitum eſt, cujus tenorem vide apud Müldenerum *in Capit. Harmon. p. 146.* Verum dum communi expectatione res ad exitum ſpectaret, ipſe exitus ſive *Epilogus Capitulationis* initium novarum litium fuit. Poſtea par fatum *Prologus* ejusdem expertus eſt; adeo ut Bellis, Turcico, dein Gallico intervenientibus, tantiſper hæc res quieverit, & forſan etiam in poſterum quieſcet ob varias rationes, potiſſimum & illam, quod intereſſe *iſtius*

iſtius domus, quæ olim acerrime & ob potentiam cum autoritate hoc urgebat in Comitiis Ratisbonenſibus, hodie cum aucta dignitate & aliam faciem aſſumpſit. add. Monzamb. *c.* 5. *ſſ.* 2.

9. An ergo poſteriores Capitulationes validæ ſunt, licet ab omnibus ſtatibus haud confectæ ſint?

Reſp. Affirm. Quamvis reliqui Status expreſſe denunciaverint, ſe Capitulationes Electorales pro Legibus Imperii non agnituros eſſe, niſi *omnia ſua monita*, quæ exhibentur in der Grundfeſte *P.* 3. *c.* 3. insererentur & Capitulatio ex tenore Pacis Weſtphalicæ conficeretur; videantur *Proteſtationum* formulæ contra *Capitulationem Leopoldi* in der Grundf. *c. l. in f.* & contra *Capitulationem Joſephi* ap. Müldener. *in Capit. Harm. p.* 209. qui & *Re-Proteſtationem* Electorum exhibet *ibidem lit. G.* Attamen propterea illæ Capitulationes non ſunt contra conventiones publicas confectæ, & *ſic nullæ*. Nam in *Inſtr. P. art.* 8. §. *habeantur*, *deliberatio* hujus rei ſolummodo, &, ſi fieri poſſit, *deciſio* in futura Comitia rejicitur. Dum vero in illis res hæc, ob varios reſpectus politicos, confici non potuit, interim ſalvus manet valor Capitulationum Electoralium. Perinde, uti *juri Circulorum* non derogatum eſt, licet eorundem *regimen exactius* futuris Comitiis in eodem Inſtrumento Pacis, reſervatum nec hactenus expeditum eſt. add. Dn. Klein *Diſſ. de Prærog. Princ. cap.* 2. *n.* 70.

10. Rex,

10. Rex Bohemiæ num etiam ad conficiendam Capitulationem admittitur?

Reſp. Negant, *Regis Bohemiæ*, in concipienda & præſcribenda Capitulatione aliquas partes eſſe, Rachel. *de Capitul. c. 4. §. 6.* Conring. *de Capitul. §. 22. Limnæus ad Capitul. Prolegom. ſect. 4.* & tantum non omnes Publiciſtæ cum illis. Sic notabile etiam eſt, quod tradit A. des Diſcurſes vom heutigen Reichs-Tage apud Schilt. *Inſt. J. P. tom. 2. in addit.* occaſione *novi Electoratus* Imperatorem qua *Regem Bohemiæ* ad *jura hæc & alia Electoralia*, quibus excluſus eſt, aditum ſibi munire voluiſſe. conf. *articuli ſecreti* inter Imp. Leopoldum & Elect. Hannoveranum in *Elect. Jur. Publ. Curioſ. Hippol. a Lapide. vid. tamen infr. L. 3. c. 2. qu. 11.* Interim tamen verba *proœmialia Capit. Joſephi*: mit denſelben reſpective unſern gnädigen Herrn Vater rc. verglichen, indigitare omnino videntur, quod Rex Bohemiæ ad hanc Capitulationem conficiendam admiſſus fuerit, cum nulla adſit præſumtio, quod hæc verba citra cogitationem Electoris Moguntini, ſtylum Capitulationum moderantis, irrepſerint; ad cujus dilucidationem forſan inſervit teſtimonium Dn. Franckenſteinii in *Not. MSS. ad Becler. l. 6. c. 8.* ceu adductum eſt a Dn. Klein *all. Diſſ. de Prærogat. Principum Imp. Cap. II. n. 57.* quod in Electione Joſephi Capitulatio reliquorum Electorum arbitrio confecta *demum* Bohemico Legato prælecta fuerit: *ſi quid forte monere vellet.*

11. Capitulationes num bene per Legem Regiam deſcribuntur?

Reſp. Ita videtur Carpzovio in *Comment. ad L. Regiam ſeu Capitulationes;* verum admodum incongrue, dum veteres Imperatores in Republ. Romana *abſolutum* Imperium per Legem Regiam (ſi modo illa unquam lata eſt, quod non inepte negat Schoockius *Tr. de Figmento Legis Regiæ*) nacti, viciſſim per Capitulationes arctis limitibus Cæſarea poteſtas includitur.

12. Num Imperator in caſu neceſſitatis a Capitulationibus recedere poteſt?

Reſp. Neg. cum Capitulationes per modum pactorum conficiantur, ubi uni parti reſilire fas non eſt. Accedit expreſſa prohibitio Imperatori facta; Dawieder nicht zu thun in einige Weiſe und Wege, wie die mögen erdacht werden. *Capitul. Joſephi art. 47. in f.* notabilia etiam verba *Reſponſionis Collegii Electoral. Ratisbonnæ 1630.* Imperatori data: Weniger laſſen ſich die vergangene Verſetz- und Vorgebung des Reichs nahmhafften Lehn, mit einer *Neceſſitât* oder andern Urſach behaupten, ſondern bleibt bey einem ſo wol als andern klahrer Diſpoſition Königlicher Capitulation &c. plura ſuppeditat Dn. Stryk. *all. Diſſ. cap. 1. §. 17.*

13. Quid vero ſi actu contravenerit Imperator, actus illi num mox ipſo jure nulli ſunt?

Reſp. Vetuſtioribus Capitulationibus E. gr. *Caroli* V. *Ferdinandi I. Rudolphi & Matthiæ clau-*

ſula

ſula annullatoria generalis in Articulis ultimis adjecta, quæ in recentioribus *Leopoldi* & *Joſephi* omiſſa, & certis tantummodo Articulis annullario adjecta; Inde dici poteſt, quod ſi contra diſpoſitionem Capitulationis venerit Imperator, & ſpeciatim contra illos articulos, quibus expreſſa annullatio adjecta eſt, tum ille actus *ipſo jure ſit nullus.* Quod ſi vero ceteris Articulis illam clauſulam non habentibus contraventum fuerit, actus tamdiu ſubſiſtit, donec conſenſu Statuum pro invalido declaratus fuit. conf. Dn. Joh. Sam. Stryk. *Diſſ. de Derogatione Futuræ Diſpoſitionis Cap. 1. §. 73. ſequ.*

CAPUT IV.
DE
AUREA BULLA.

GENERAL. AXIOM.

1. A. Bulla *per modum Pacti cum ſolis Electoribus* initi videtur confecta.
2. E. ad mutationem ejusdem *illorum expreſſus* aut *tacitus* conſenſus ſufficit.
3. Quæ in A. Bulla *enunciative* proferuntur, quo referunt *numerum ſeptenarium Electorum*, intelligenda haud ſunt *diſpoſitive.*
4. Textus latinus A. Bullæ, tanquam *authenticus*, præferendus in dubio eſt Germanico.

Quæſtio I.
Quid eſt Aurea Bulla.

Reſp. Eſt *conventio inter Imperatorem Carolum IV. & Ordines eligentes inita, Electionem &*

Coronationem Imperatoris, jura Imperii & non nulla alia Imperii negotia determinans.

2. *Quando & quare condita eſt?*

Reſp. Condita eſt 1356. *Noribergæ* & *Metis*, ad tollenda Electionis diſſidia, quorum exempla adduxit Arumæus *ad A.B. Diſſ. 1 §. 6.* Ceterum de A. Bullæ *Exemplaribus authenticis, forma, Characteribus, Bulla*, ſive Sigillo Aureo, paſſim agunt ejusdem Commentatores *Rumelius, Buxtorfius, Limnæus, Dietericus* aliique. Selecta congeſſit Dn. Thulemarius *tr. de Aurea, Argentea, Cerea Bulla cap. 6. ſeq.* qui & Auream Bullam ex *Autographo Francofurtano* fideliter & diligenter 1681. deſcriptam edendam curavit, quam prout ab ipſo edita eſt, inter Leges publicas celebriores in *calce Jurisprudentiæ publicæ* adjiciendam curavi.

3. *Sed num ex re Imperii fuit hanc Bullam condere?*

Reſp. Omnino, quo variis abuſibus circa electionem Imperatoriam anſa præſcinderetur. De cetero non veriſimilis eſt conjectura Monzambani *de St. Imp. c. 4. §. 6.* Carolum IV. ut filio Wenceslao gradum ad Imperium ſtrueret, tam laute proſpexiſſe in illa Collegio Electorali. Nam 5. annis poſt confectionem bullæ natus demum Wenceslaus eſt.

4. *Quare A. B. patria ſeu germanica lingua non confecta, ſed latina?*

Reſp. Conſultius hoc fuiſſet, vid. Limnæus *ad A. Bullam prælim. obſ.* Sed incidit ejus confe-

ctio

ctio in illa tempora, ubi latinæ linguæ uſus in Templis & Curiis, ex ratione ſtatus clericalis introductus erat, hinc & eadem lingua, licet ſat barbaro ſtylo, ſive a *Carolo IV.* ipſo, vid. Schweder. *J. P. part. gen. cap. 2. §. 4.* ſive ipſius Conſiliario, *Bartolo*, confecta creditur A. Bulla. Quare in deciſione Quæſtionum inde dependentium *latinum*, tanquam Authenticum, exemplar, præ verſione germanica, allegandum eſt, cum hæc quædam contineat, quæ in latino plane non leguntur. Limnæus *ad A. B. obſ. 4.* Exemplum *vid. infra L. 2. c. 7. qu. 6.*

5. Num omnia capita A. Bullæ hodie ſunt in obſervantia?

Reſp. Et Cæſaris & Electorum conſenſus ſive expreſſus ſive tacitus in plurimis *mutationem* induxit, per quam ſub notione generali omne id intelligimus, quod ex illius diſpoſitione hodie non obſervatur; & res in effectu eodem recidit, licet ad *interpretationem reſtrictivam* nonnulla pertineant.

6. Quænam ſunt potiores diſpoſitiones A. Bullæ, quæ hodie non amplius obſervantur?

Reſp. Variæ ſunt. Huc ſpectat:

(1) Jus de *non Appellando Electoribus* conceſſum *cap. XI. §. 2. 3.* cui a nonnullis renunciatum eſt.

(2) Ratione *vacantis Electoratus* ſupplendi, quod *cap. VII. §. 53. ſoli Imperatori* adſcribitur, hodie vero ad *minimum* cum conſenſu Electorum

peragendum eſt. arg. *art. 38. & 43. Capit. Leop. & Joſephi. Limnæus tom. 5. J. P. in add. ad L. 1. c. 12.*

(3) *Ordo votandi* in Electione *cap. 4. §. 2.* præſcriptus, ſed ſæpius non obſervatus.

(4) *Locus Coronationis* cap. XXVIII. §. 5. *Electionis cap. I. §. 19.* & *primorum Comitiorum* Noribergæ habendorum. *cap. XXIII. §. 5.* a qua ſanctione ſæpius receſſum eſt; ut & a *Jure Conducendi ad locum electionis*, vid. Dn. Thomaſ. *Diſſ. morum cum jure ſcripto contentio* §. 73.

(5) *Tutela Electoralis*, quod omnis Tutor teſtamentarius abeſſe debeat, *Cap. VII. §. 4.*

(6) *Comitia Electoralia* ſingulis annis habenda *cap. XII.*

(7) *Formula Juramenti* ab Electoribus in Actu Electionis præſtandi *cap. II. §. 2.* mutata.

(8) Quæ de *Miſſa cap. II. §. 1.* diſpoſita, intuitu Evangelicorum Electorum aut eorum Legatorum non obſervantur.

(9) Certus *Comitatus* Electoribus aſſignatus *cap. I. §. 20.* & quod *Peregrini* abeſſe debeant, hodie tam accurate non obſervantur.

(10) Quod Electores *aqua & pane cibandi ſint*, ſi intra 30. *dies* a tempore juramenti Electionis non elegerint Imperatorem Cap. II. §. 5. ad *Paleares conſtitutiones* pertinet.

(11) *Inſtitutio 3. linguarum* Electorum filiis addiſcendarum, *cap. 30.* Quæ omnia Capita fuſius a nobis expoſita ſunt in *Diſſ. de Mutatione A. Bullæ, Halæ hab. 1700.*

7. *Num*

7. *Num etiam quoad nonum Electoratum A. B. mutata eſt?*

Reſp. Ita exiſtimatur in *Declaratione Nullitatis a parte Principum contra Electoratum nonum emiſſa*, quæ extat ap. Hipp. a Lapide in den Curiöſen *Raiſonnements* von der 9. Chur-Würde *p. 173.* Verum alii excipiunt, in A. Bulla non *diſpoſitive* ſeptem Electores conſtitui; ſed *enunciative* tantum eorum mentionem fieri; de quo *vid. Diſſert. de Mutatione Aureæ Bullæ §. 32.*

CAPUT V.
DE
RECESSIBUS IMPERII.

AXIOMATA GENERALIA.

1. In vetuſtioribus Receſſibus Imperii multa leguntur, quæ *ſubſecuta Status mutatio* abrogavit tacite.
2. In Receſſibus Imperii continentur plura negotia *tranſitoria* v. c. de Bellis *Turcicis*; tum & *negotia privata*.
3. Negotia particularia Statuum in Comitiis definita, quilibet citra expectationem, ut Receſſui inferatur, exequi valet, exemplo *ejectionis XI. Dierum ex Calendario Proteſtantico*.
4. Si Comitia Imperii præſentia *perpetua* ſint, ex haud improbabilibus conjecturis, futura, *Receſſus Imperii* in forma conſueta vix expectandi veniunt in poſterum.

Quæſtio I.
Quid ſunt Receſſus Imperii?

Reſp. Sunt *Conventiones in Comitiis, mutuo Imperatoris & Statuum conſenſu, de negotiis admini-*

miniſtrationem & conſervationem Imperii potiſſimum concernentibus conſtitutæ & promulgatæ.

2. *Nonne etiam Receſſibus Imperii diſponitur de rebus, quibus publicus Imperii ſtatus directe non formatur?*

Reſp. Ita. Nam *triplici* ſenſu Receſſus accipiendi ſunt: vel enim

(1) Ordinant de rebus ad *adminiſtrationem Imperii* & *ſtatum publicum* ſpectantibus, vel

(2) de *Decretis*, quibus ad *negotia tranſitoria* v. c. ad Bellum *Turcicum*, expedienda Imperator & Status ſe obſtringunt, vel

(3) de *Legibus privatis* ad Statuum ſubditos pertinentibus, ceu in *Receſſu noviſſimo de Anno 1654.* modus abbreviandi Proceſſus prolixe præſcribitur. In *2* & *3.* ſignificatu proprie non ſunt hujus conſiderationis, & multa harum diſpoſitionum hodie non amplius *in uſu* ſunt.

3. *Num Receſſus tanquam leges ſuperioris, an vero tanquam pacta obligant?*

Reſp. Cum totum noſtrum jus publicum *fere pactitium* ſit, & Receſſus Imperii non alio modo conſtitutos eſſe, cenſendum eſt. Confirmant hoc verba Receſſuum ipſa: Haben Uns mit und gegeneinander deshalb in *Contracts*-Weiſe vereiniget, verpflicht und verſchrieben; quæ deprehenduntur in *Receſſu de Anno 1500.* conf. Mauritius *Diſſ. de Receſſ. Imp. §. 32.*

4. *Num ergo ſolus Imperator & Status Receſſus Imperii conficiunt?*

Reſp.

Reſp. Affirm. ita tamen, ut Imperatore *abſente* vel *impedito*, Rex *Romanorum*, ut & *Vicarii* Imperii cum Statibus Receſſus condant. Poſſunt etiam Status *vices* ſuas *paucis* demandare; Inde *Receſſus Deputationum* & *Viſitationum*, die Reichs-Deputations-Abſchiede, de quibus *infra* *L. 4. c. 2.* Mauritius *all. l.* §. *11. 12. 14.* Schwed. *J. P. part. gen. cap. 3.* §. *3.*

5. Quis eſt modus concipiendi & promulgandi Receſſus?

Reſp. Si inter Imperatorem & Status ſuper Capitum deliberandorum deciſione debito modo conventum in Comitiis eſt, illa in *ordinem rediguntur a Directorio Moguntino*, dein Cæſaris, Electorum & reliquorum Statuum *Deputatis communicatur Conceptum* (das project) ad revidendum; ex quorum approbatione deinceps *bis* in membrana in Cancellaria Moguntina deſcribitur, quæ *authentica Exemplaria* unum in *Archivo* Imperii apud Moguntinum, alterum in *Judicio Aulico* aſſervantur. Tandem fit ſubſcriptio & promulgatio. conf. Grundfeſte des H. R. R. *P. 2. c. 10.* Dn. Schweder *J. P. part. gen. c. 3.* §. *6.*

6. Cujus nomine Publicatio Receſſuum peragitur.

Reſp. Imperatoris, verum hoc Receſſuum *indolem pactitiam* non immutat, ſed eſt innoxium priſtini Status indicium. Mauritius *all. l.* §. *6.*

7. *Quid ſunt Receſſus ſecundarii*, Neben-Abſchiede?

Reſp. Hi concipi ſolent, quando in Imperii Comitiis concluduntur quædam, quæ in typis excuſo Exemplari, tempore promulgati Receſſus, certas ob cauſas, ab omnibus *adhuc legi nolunt* Imperii Status. vid. Schweder *l. c.* §. 2.

8. *Receſſus Imperii nonne uno volumine collecti prodierunt?*

Reſp. Aff. Prima collectio *Spiræ* prodiit 1527. Schwed. *all. l.* §. 8. Sed hanc & plures inſequentes ſuperant *Editiones* de An. 1660. quam tamen ſuis mendis non carere ex Maurirtio & Schwedero *all. l.* patet, & *noviſſima de* 1692.*) Secundum *literas Alphabethi* contenta *Receſſuum* & *Conſtitutionum Imperialium* exhibet utili ſatis labore Dn. ab Andler, Conſil. Cæſar.

*) Noviſſima editio Corporis Receſſuum Imperii prodiit Frf. ad M. a. 1707. eaque *teſte Struvio in Syntagm. Jur. Publ.* reliquis accuratior.

CAPUT VI.

DE

PACE PUBLICA, RELIGIOSA ET WESPHALICA.

GENERALIA AXIOM. HUJ. CAPIT.

1. Ante reductam pacem profanam Status Germaniæ *Cyclopicus* fuit, & in prima principia *Socialitatis* & *vinculi communis Civitatum* impegit.
2. Pax religioſa nititur communibus *principiis Juris naturalis* & *ſocialitatis*.

3. Religionum tolerantia fluit ex principiis *juris divini*, & contra hoc, Catholici Status Evangelicis ſuperioritatem territorialem *ſacram* controverſam fecerunt.
4. Juſtum itaque bellum fuit, quo Catholici in jus divinum & naturale impingentes ab Evangelicis adacti ſunt, ipſos ſuo jure quiete frui ſinere.
5. Prohibitio aliarum religionum præter *Romanam*, *Lutheranam*, *Reformatam* quidem Romano-Catholicos ſtringit, vi ſuorum principiorum, ſed non *Evangelicos*.
6. Pace Weſtphalica *omnia jura* ſuperioritatis Territorialis & *majeſtatica* aut *expreſſe*, aut voce *ſimilium* conceſſa ſunt.

Quæſtio I.

Quid eſt pax profana ſive publica?

Eſt *conventio inter Imperatorem & Status*, *qua omnis hoſtilitas inter ipſos*, *pœna conſtituta in violatores*, *prohibetur*, *ac modus jus ſuum proſequendi præſcribitur*.

2. *Quid opus fuit conſtitutione pacis ſolenni inter membra unius Reipublicæ?*

Reſp. Quanquam ejusmodi pax primis *principiis juris naturalis* & *ſocialitatis* communis; tum & *vinculis civilibus* in bene ordinatis Rebuspublicis nitatur; Olim tamen talia tempora in Germania fuerunt, maxime *ſeculo XIII.* poſt *fatale illud Interregnum* usque ad *ſeculum XVI.* ut ex frivolis etiam cauſis colliſiones, invaſiones, deprædationes inter Status, modo *diffidatio* præceſſerat, honeſtæ & licitæ reputarentur.

3. *Quamdiu duravit miſer hic ſtatus?*

Reſp. Ad tempora *Maximiliani* I. qui concordi Statuum ſuffragio in *Comitiis Wormatienſibus*

bus Anno 1495. Iudicium Camerale fundavit, & promulgandam ſimul curavit *Pacem profanam* den Königl. Land-Frieden, quam poſtea 1500. in *Comitiis Auguſtanis* repetiit, & Conſtitutionibus neceſſariis auxit, quæ a Succeſſoribus in ſequentibus Receſſibus aliisque Conſtitutionibus publicis repetita & corroborata eſt *J. P. Prud. Diſſ. 11. §. 17.* Capita potiſſima hujus Pacis recenſet Schweder *l. c. ſ. 12.*

4. Quid eſt pax Religioſa?

Reſp. Eſt *conventio Imperatoris & Statuum, qua tolerantia Religionis Papiſticæ & Proteſtanticæ una cum poſſeſſione Bonorum Eccleſiaſticorum in Imperio determinatur, ac jurisdictio Pontificia quoad Proteſtantes ſuſpenditur.*

5. Quænam Occaſio bujus pacis fuit?

Reſp. Reformatio *abuſuum papiſticorum in doctrina* & *moribus* ope & auſpiciis *Martini Lutheri*, qui ſalutari huic rei initium fecit promulgatione Theſium contra impudentes *nundinationes Indulgentiarum Tezelianas.*

6. Verum num Romano-Catholici in tolerantiam religionis Evangelicæ mox conſenſerunt?

Reſp. Poſt ingentes tumultus & motus *bellicos*, conf. B. Dn. a Seckendorff *Hiſtoria Lutheraniſmi*, *Meimburgio* Gallo, ex Archivis Saxonicis oppoſita, & in compendio Schwed. *c. I. §. 17.* Inter Imperatorem *Carolum V.* & Electorem Saxoniæ *Mauritium*, *TranſactioPaſſavienſis* inita 1552. quæ fundamentum fuit inſecutæ

poſtea

poſtea 1555. in Comitiis Auguſtanis, *Pacis Religioſæ;* compoſitæ inter Ferdinandum I. & Status Evangelicos.

7. *Num etiam Reformatæ Religioni addicti hac pace comprehenduntur?*

Reſp. De hoc hodie nullum amplius ſupereſt dubium, poſtquam Inſtrumento Pacis Weſtphalicæ inſertum eſt *art. VII.* quod *Reformati pari jure, libertate & ſecuritate* gaudere debeant. Hoc beneficium ipſos debere indefeſſo ſtudio Electoris Brandenburgici, autor eſt Rachelius *Ot. Noviom. p. 56.*

8. *Nullæ ne aliæ Religiones, quam tres enumeratæ, tolerantur in Imperio?*

Reſp. Ita vulgo exiſtimant propter verba *finalia Articuli VII. Inſtr. P. W.* quæ eo intuitu etiam *Religiones Canoniſatæ* appellari ſolent. Sed contrarium Evangelicis Principiis magis conforme eſt, & de ſano ſenſu *allegati Articuli* 7. plenius diſſeritur in *J. Publ. Prud. Diſſ. II. §. 21.*

9. *Sed num acquieverunt hac Pace religioſa Pontificii?*

Reſp. Fervidiores inter ipſos auſi ſunt impugnare publicas haſce Conventiones; & Pontifices per ſuos *Nuntios* proteſtationes interponendas curarunt, quæ *tacite* annullantur in *Inſtr. P. art. 5. Capitul. Joſephi art. 2.* conf. Schilt. *de Pace Religioſ.*

10. *Quid eſt Pax Weſtphalica?*

Reſp. *Conventio inter Imperatorem, Regem Sueciæ*

Sueciæ ac Status Imperii inita, qua reducta pace, Statuum libertati & ſummis juribus, tam ſecularibus quam Eccleſiaſticis, proſpectum iſt.

11. Qua occaſione ad illam Pacem deuentum eſt?

Reſp. Cum poſt conditam pacem religioſam animi motus & occulta molimina turbulentorum hominum anſam *Tricennario Bello* præbuiſſent, & *Proteſtantium* arma cum *Suecicis* conjuncta prævaleient, ac *Cæſar* & *Ligiſtæ* bellorum Civilium tractu temporis pertæſi eſſent; tandem *Manaſterii* & *Oſnabrugæ* ſolennis illa Pax inita eſt, quæ tanquam ſanctio pragmatica ſemper valitura, etiam fundamentum *Paci Neomagenſi 1679* concluſæ, nec non *Armiſtitii 1684.* initi conſtituitur. Cujus pacis Inſtrumentum Franciſcus Irenicus *in Coll. J. P. ad* Burgoldenſem, (h. e. Oldenburgerus ad Oldenburgerum) *P. 3. diſc. 1. p. 2.* paululum profanius der Gemeinen Reichs-Stände Bibel vocat.

12. Quænam ſunt contenta Pacis Weſtphalicæ?

Reſp. Conſtat *Septendecim Articulis*, quorum tenorem *verſibus incluſum* exhibet D. Schweder. *l. c. c. 3. §. 27.* Inter illos vero præcipui *Articulus; Gaudeant VIII.* ubi Statuum *Superioritas territorialis* & inde dependentia *ſumma jura Regalia* confirmata; tum & *Articuli V. & VI.* in quibus de *Bonorum Eccleſiaſticorum poſſeſſione* & *tolerantia Religionum* diſpoſitum eſt.

13. Sed num, quæ ibi de Religione Proteſtantica diſponuntur, in omnibus locis hodie illibata conſervantur?

Reſp.

Reſp. Affirm. Niſi quod per *famoſam clauſulam articuli IV. Pacis Ryſvicenſis* cautum ſit, quod Civitates Germanicæ, *Friburgum*, *Briſacum* cum dependentiis, a Gallo reſtituendæ in *ſtatu quo* tempore reſtitutionis, etiam in *puncto Religionis*, manere debeant. Quapropter huic Paci plerique Evangelicorum *ſubſcribere recuſarunt.* Quæ in *Sileſia* ratione ſecuritatis Religionis Evangelicæ *in Inſtr. P. art. V. §. 38. & 40.* promiſſa, poſtea autem neglecta ſunt, conf. Bukiſch *Not. ad Inſtr. Pac. in quibus præ aliis res ad religionis ſtatum in Sileſia patria ſua pertinentes, quamvis ſtudio partium Romanenſium abreptus, tractat*, vi nuperæ *Transactionis amicabilis Alt-Ranſtadenſis* (12) 22. *Aug.* 1707. inter *Imperatorem & Regem Sveciæ* iis ampliori forma reſtituta ſunt, vnde ipſam Transactionem, quæ *Mantiſſæ 3. loco ad ſpecimen 4. medit. ad Inſtrum. Pac. adjecta eſt.* Motus *Palatinos* intuitu religionis amice etiam brevi terminatum iri ſpes eſt. conf. etiam *Aut. Med. ad Inſtr. Pac. ad Art. V. & VI.*

14. Sed nonne etiam Reformati in Sileſia reſtituendi ſunt?

Reſp. Hi quidem verbotenus in Transactione Alt-Ranſtadenſi non comprehenduntur; quoniam vero vi Pacis Weſtphalicæ etiam iis, qui inter Evangelicos *Reformati* vocantur, *paria jura* competere debeant, *Artic. unanimi VII.* jure meritoque & horum reſtitutionem in Sileſia urgent Principes, qui inter Proteſtantes Reformati vocantur.

15. In-

15. *Interpretatio Pacis Weſtphalicæ cui competit?*
Reſp. *Authentica* Cæſari & paciſcentibus Statibus; *doctrinalis* etiam privatis. Fruſtra diſſentienti Mevio *P. 1. dec. 67.* ſatisfacit Rhetius *J. P. l. 1. tit. 1. §. 80.*

CAPUT VII.
DE
HABITU LEGUM PRIVATA-RUM AD JUS PUBLICUM.

GENERALIA CAPITA.

1. Cum ex recepta apud pleroſque Publiciſtas autoritate pollentes & haud dubie etiam in *Camera* & *Judicio Aulico*, ſententia; *Principes inter ſe utantur jure privatorum*, caute faciunt, qui Principi conſulunt, ut Actus, in quibus ut privatus conſideratur, v. c. *Teſtamentum*, *Tutela*, *Nuptiæ*, juri civili conformes conficiendas curet.
2. Ex *libris tribus ultimis Codicis* admodum inepte jus Publicum Germaniæ illuſtratur.

Quæſtio I.
Quid intelligis per leges privatas?
Reſp. Jura in gratiam ſubditorum conſtituta, tam *Germaniæ propria*, qualia ſunt antiquiora a *Lindenbrogio* collecta, & illa, quæ *Saxonica* & *Suevica* vocantur; quam *peregrina* in ſubſidium recepta, ſcilicet, Civile *Juſtinianeum*, *Canonicum*, & *Feudale Longobardicum*.

2. *Num magna autoritas & uſus Germanicarum Legum vetuſtarum in Jure publico?*

Reſp.

Reſp. Cum Legum *antiquarum*, apud *Lindenbrogium*, valor dudum expiraverit, vid. Conring. *de Orig. Jur. Germ. c. 25.* & Juris *Saxonici* & *Svecici* Provincialis *aptitudo* ad Negotia Publica non deprehendatur; exiguus earum in jure publico hodierno uſus eſſe poteſt: Quod tamen limitandum de Jure *Germanico feudali*, quod in illis, quæ ad modum habendi ſpectant, magis quadret ad feuda *illuſtria*. conf. Schilt. *J. P. L.* 1. *tit* 2. *§*. 12.

3. *Quis uſus receptarum Legum, & in ſpecie Juris Iuſtinianei?*

Reſp. Dudum de illa re inter *Taborem*, uſum illarum in Jure publico extollentem, & *Conringium* viciſſim deprimentem, acriter decertatum eſt. Cum vero ex communi & celebriore opinione, Principes & Status, *inter ſe, utantur Jure privatorum*, ad minimum caute faciunt illi, ſecundum hanc hypotheſin, ſi *actus*, in quibus Statuum Imperii conditio ut *privata* ſpectatur, v. c. quatenus ſunt Mariti, Patres, teſtamenta condunt, Juri Civili conformes fieri curent. Sic

1) De *ſolemnibus teſtamenti Principis*, ex jure civili neceſſariis, egit Dn. Stryk. *de Cautelis Teſtam. Cap. V. §. 8. ſeq.*

2) De *Patria poteſtate Principis* in liberos, & inde effectibus juris Civilis, vid. Rhetius *J. P. L.* 1. *tit.* 20. quo pertinet, quod *Johannes Fridericus El. Sax.* expreſſe ad Patriam poteſtatem

a Carolo V. 1532. reſtitutus legatur apud Hortlederum *de Cauſ. Belli Germ. lib. 3. c 88.*

3) De *Adoptione principis Imperii*, vid. Kulpiſii *Diſſ. de Adopt. & Emanc. Princ.*

4) de *Portione Apparagiati*, quantitatem *Legitimæ* tuto & valide habente, vid. *infr. L. 3. c. 4. qu. 5.* add. Myleri ab Ehrenbach *Tractatus Juris publici.*

4. Quæ eſt autoritas Juris Canonici in Jure Publico?

Reſp. Cum *Status Eccleſiaſtici* ad ordinem Clericorum pertineant; Illa, quæ ibi de Clericis diſponuntur, *legalem autoritatem*, ſaltem ex Eccleſiaſticorum Statuum ſubmiſſione, habent. Exemplum controverſiæ illuſtris inter Principem Bavaricum *Clementem* & Cardinalem Fürſtenbergium ſuper ſucceſſione in Electoratu *Colonienſi* deciſionem ſuam ex Jure Canonico capientis, & quidem ex *Capit. Scriptum 14. X. de Elect.* adductum eſt in *J. P. Prud. Diſſ. 11. §. 24.* Sic quæ *Ordinis* ſunt, Electores Eccleſiaſtici, antequam *infulati ſunt*, peragere valide non poſſunt, per *Cap. 4. X. de Translat. Epiſcop.* Exemplum vide *infra L. 2. c. 1. qu. 16.*

5. Quid de jure feudali Longobardico dicendum eſt?

Reſp. Huic *uſus legalis* circa *acquiſitionem* & *conſervationem* Feudorum illuſtrium Germaniæ eatenus non denegatur, quatenus ſpecialiter non docetur, legibus Germaniæ contrarium

diſponi

diſponi circa illa. add. *Capit. Joſephi artic. 4.* ibi: denen Reichs-*Conſtitutionen* und Lehn-Rechten gemäß.

LIBER II.

CAPUT I.

DE

IMPERATORIS ELECTIONE ET CORONATIONE.

GENERALIA AXIOM. HUJUS CAPIT.

1. Quamvis per duo Secula & amplius Cæſares ex *una Domo* Auſtriaca fuerint, *libertati Electionis* tamen ſatis proſpectum eſt.
2. Ad faſtigium Cæſareum *nulli aptiores*, quam Principes & Domini Auſtriacarum Provinciarum.
3. Loco vetuſtæ *triplicis* vel *quadruplicis* coronationis, *unica* hodie ſaltem in uſu, nec propterea Imperii *Dominio directo in Italiam* & alias *ejusdem juris Provincias* aliquid decedit, quippe quod a *Coronationis actu* præciſe non dependet.

Quæſtio 1.

Quis eſt Caput in Imperio, & quomodo illud conſtituitur?

Reſp. Imperator ſive Cæſer, qui & *Semper Auguſtus* audit, ac ad ſummum in Orbe faſtigium evehitur per *Electionem*. Hodiernus Imperator Carolus VI. natus eſt d. 1. Octobr. a. 1680. in Imperatorem Romanum electus d. 12. Octobr. a. 1711.

2. Semperne Imperatorium culmen per Electionem in Germania obtentum eſt?

Reſp. Si non *pura Electio*, uti perſuaſus eſt Lehmannus *in Chron. Spirenſi L. 2. c. 3. & L. 5. c. 17.* a temporibus Carolingorum obtinuit, tamen ex *hereditaria ſucceſſione* & *libera Electione mixta* conſtituendorum Regum ratio fuit. Conring. *Diſſ. de Elector. §. 4.* Er. Maurit. *de Orig. Elect. §. 1.* Rachel. *Diſſ. de Capitul. C. 2. §. 5.* dum non temere Proceres idoneos deſcendentes Familiæ Regnantis in Electione præteriverunt. add. ill. Coccej. *J. P. P. c. 7. §. 13.* Quæ & Succeſſionis & Electionis mixtura duravit in *Stirpe Saxo-Vitekindéa* usque ad *Henricum IV.* Nec alia facies intuitu *Archi-Ducalis Auſtriacæ Domus* a tempore *Rudolphi I.* ejusdem *Conditoris Auguſti* per aliquot ſecula usque ad hodiernum Glorioſiſſimum Imperatorem Carolum VI. fuit.

3. Quæ Cauſæ, cur per duo Secula continua ſerie Imperatores ex Archi-Ducali Domo electi ſint?

Reſp. Adducit nonnullas pro cetera ſua ſagacitate Monzambanus ſive B. a. Pufendorff *de Stat. Imp. c. 2. §. 4.* quod vix ulla ſit, præter ipſam, in Germania Domus, quæ Cæſarei Faſtigii ſplendorem *propriis reditibus* tolerare queat. Præterea in caſu præteritionis Auſtriaci opes ſuas ita diſpoſuerint, ut nullo negotio *pecu-*

peculiarem rempublicam conſtituere poſſent. Nec inter leuiores cauſas recenſendum eſt, quod deprehendatur tam commodus ſitus nonnullarum Provinciarum Auſtriacarum *verſus Italiam*; & inde quicquid Autoritatis Cæſareæ eſt in Italiam valide ſuffulciendi facultas; Imperatoribus ex alia Domo v. c. *Bavaria*, non adeo in promtu futura.

4. *Defuncto Imperatore quomodo Electio peragitur?*

Reſp. Elector *Moguntinus*, utpote *Decanus* Collegii Electoralis, intra *menſem* a die notitiæ mortis Imperatoriæ, Collegis id ſignificat, eos ad futuram Electionem vocando, qui *Ipſi*, aut, ex gravibus cauſis, per *Legatos* comparere obſtricti ſunt. Et idonei ad hunc auguſtum actum ſunt, licet Electores Eccleſiaſtici nondum a Pontifice *Infulati ſint*, aut *Pallium redemerint*, ſeculares *nondum inveſtiti*. Actum Electionis, quae *Francofurti ad Mœnum*, regulariter in *Sacrario Templi S. Bartolomæi* ſuſcipitur, auſpicatur Cæremonia *Miſſæ*, a qua tamen *Evangelici* ut plurimum ſolent *abeſſe*, licet, cum *officii cauſa* adſint, ſalva conſcientia *adeſſe* poſſint. Miſſa finita, ad *Altare* acceditur, ubi, *juramentum* de idoneo eligendo, magis tamen ex conſuetudine, & dicis gratia, præmitti ſolet; dum Electio Candidati, ratione certitudinis actum iſtum prævenire ſolet ex genio iſtarum rerum. Dein Moguntinus *ſuffragia colligit*. Primo

loco *Trevirenſem* interrogat, & *ultimo loco ipſe* votum ſuum edit. *Pluralitas* votorum obtinet. Denique hi ad Altare accedunt, ubi Moguntinus Electum Imperatorem pronunciat. conf. Monzamb. *de Statu Imp. Cap. 4. §. 5.* & ibi B. *Kulpiſium.*

5. Quid ſi Elector Moguntinus juſto tempore non convocet Collegas?

Reſp. Si convocatio vel in totum, vel pro parte, omittatur, vi A. B. c. 1. §. 21. ultro Electores convenire poſſunt.

6. Num etiam alius, quam Germanus Imperator eligi poſſet?

Reſp. Negat hoc Dn. Thulemarius *Tr. de Bull. cap. 1. n. 8.* aliique provocantes ad quandam *prohibitivam Conſtitutionem Ottonis III.* Quæ vero, an *genuina* ſit, merito diſceptatur. Equidem obſervantia tot Seculorum nullus alius quam Germanus ſtirpe & ſanguine Solium Cæſareum conſcendit; ſed hæc non poſſet ſtringere illos, qui non habent ſuperiorem. Interim ſvadet prudentia & ſtatus rerum præſentium, non temere conſilium capere eligendi alium, quam Principem Germanum.

7. Num etiam ex Principibus Proteſtantibus poſſet eligi Imperator?

Reſp. Nullæ *Conventiones prohibitivæ* adſunt; Interim vix exiſtimandum eſt, quod Catho-

tholici Electores, pluralitatem votorum conficientes, Evangelico ſuffragia ſint daturi.

8. Quid vero, ſi aliquando deficeret proles maſculina in Domo Auſtriaca, cui putas Dignitatem Auguſtam acceſſuram?

Reſp. Si curioſitati & conjecturis privatis locus, caſu contingente, (quod ut Deus avertat, commune votum eſt) *quia* Auſtriaca Regna & provinciæ ad *Feminas* etiam devolvuntur, conſ. Monzamb. *de Stat. Imp. c. 2. §. 4. pluralitas Votorum Novemviralium* erga illum principem, qui connubio cum Archiduciſſa, ſimul tanti matrimonii Dominus evaſurus eſſet, ob rationes quæſtione 3. tactas, procul dubio inclinabit, præſertim cum machinationes Gallicanæ, ob vires eorum præſenti bello indies decreſcentes, contra Archiducalem domum non adeo inpoſterum extimeſcendæ videantur, uti tempore *Electionis Leopoldi* erant, conf. Puſend. *hiſt. Frid. Wilhelmi El. Brand. ad an. 1658.*

9. Cujus ætatis Eligendus eſſe debet?

Reſp. Ætas Eligendi legibus publicis haud eſt circumſcripta. Imp. *Leopoldus* anno ætatis XVIII. & Imp. *Joſephus* anno ætatis XI. Rex Romanorum electus eſt. Cautum tamen *Capitulatione Ejusdem art. 47.* fuit, ne, caſu exiſtente, ante *18. annum completum* in præjudicium Vicariorum Imperii, ejusdem ſuſcipere poſſit Regimen.

10. Quæ habilitas porro requiritur in Eligendo?

Reſp. Varia vulgo cumulari ſolent ex Locis communibus, v. c. quod debeat eſſe perſona *illuſtris*, *potens*, *Auguſta ac proceræ ſtaturæ*, linguam *Latinam* & *Germanicam* callens. Verum optimum videtur, prudentiſſimo Collegio, quod melius de *Bonis fortunæ* & *corporis* Eligendi judicare novit, ex uſu rerum præſentium, quam Doctorum umbratica ſcientia, hæcce perpendenda relinquere.

11. Num Elector ſibi ipſi votum dare poteſt?

Reſp. Affirm. Per A. Bullam *Cap. 11. §. fin.* Cujus rei nec etiam deſunt exempla. vid. Schwed. *Part. Spec. Sect. 1. c. 2. §. 20.*

12. Coronatio novi Imperatoris quando & ubi peragitur?

Reſp. Peracta Electione & Ceremoniis eo pertinentibus, ſuccedit, quo major ſplendor Perſonæ Electæ concilietur, ritus ille ſacer, qui ad Imperii humani auguſtam dignitatem indigitandam, jam a vetuſtis ſeculis apud pleroſque populos cultiores in uſu fuit, CORONATIO, quæ per *A. Bullam Cap. 28. §. 5.* ordinarie in *Palatio Aquisgranenſi* vetuſta *Carolingorum* ſede, peragenda eſt. A qua tamen diſpoſitione A. Bullæ temporum conditio ſæpius recedere ſuadet, ceu exemplum in *Joſephi* Coronatione, *Auguſtæ Vindelicorum 1690.* & Caroli VI. Imp. Francofurti d. 22. Dec. 1711. peracta, in promtu eſt.

13. Quo-

13. Quotuplex olim Coronatio Imperatoria fuit?

Reſp. ut plurimum *Triplex*.

(1) Fuit *Romana*, ſuſcepta Romæ miniſterio Pontificis Romani, pro *reliquiis Imperii Romanorum*.

(2) *Longobardica*, Mediolani, pro Regno *Longobardico* peragenda.

(3) *Germanica* Aquisgrani, pro Regno *Germanico*.

Hiſce interdum IV. Coronatio accedebat pro *Regno Arelatenſi*. add. Cl. Schurzfl. *Diſſ. de Diviſione Imperii Carolini*, Schwed. *P. Spec. S.* 1. *c.* 2. §. 27.

14. Quid vero opus fuit triplici vel quadruplici Coronatione?

Reſp. Ad indigitandos *diſtinctos Regnorum horum terminos & jura*, quæ illabata manſerunt, cum Ottonis M. auſpiciis & armis cum Germaniæ Regno, Longobardicum Regnum & Imperium in Urbem Romam & reliquias Imperii coaluerunt.

15. Solane ergo Coronatio Germanica hodie tantum in uſu?

Reſp. *Arelatica* & *Longobardica* dudum frequentari deſierunt. *Romana* longius duravit; Aſt illius poſt Carolum V. *Bononiæ* coronatum, nullum amplius exemplum: ſive ſumptuum ad eam neceſſario impendendorum ſat tædioſa collatione Imperium ſublevandi gratia, ſive aliis arduis ex cauſis. Equidem in *Capitulatio-*

nibus usque ad Ferdinandum IV. Imperatores adhuc obſtricti fuerunt, commodo tempore, Coronam Romanam petere; Verum *tribus ultimis capitulationibus* Leopoldi, Joſephi & Caroli VI. omiſſa eſt hæc clauſula, cum ſine illa coronatione *Jus Imperii in Italiam* ſaluum maneat, & hodienum etiam, occaſione belli Italici feliciter geſti ita ferente, exerceatur ab Imperatore.

16. Num adeo ſumptuoſa erat Coronatio Romana?

Reſp. Imperator cum Comitatu 4000. equitum & 20000. peditum, a ſtatibus juxta matriculas ſiſtendorum, proficiſcebatur Romam. Juxta quam Expeditionem Romanam die Römer Monathe, hodie *proportione multiplicata*, pro neceſſitate Imperii, onera ſtatus ferunt. conf. Itterus *de Feud. Imp. c. 20. §. 4.*

17. Coronatio Germanica a quo peragitur?

Reſp. Archiepiſcopo *Colonienſi A. Bulla* jus diademate Imperiali caput Imperatoris ornandi tribuit *Cap. 4. §. 4.* Verum hoc Elector *Moguntinus* ad Coronationem reſtrictum cupit, ſi *Aquisgrani*, ex præſcripto A. Bullæ peragatur, quia hæc ciuitas *Diœceſi Colonienſi* ſubjacet; in locis vero aliis, v. c. Ratisbonnæ, Auguſtæ Vindelicorum, Francofurti, Noribergæ Coronationem peragendam, ſibi, tanquam *Primati totius Germaniæ* vindicat, cujus jura latius propugnavit Conringius *in aſſertione Juris Moguntini.*

18. Quo-

18. *Quomodo hæc lis compoſita fuit?*

Reſp. Interventu Vicinorum res ad *amicam tranſactionem* pervenit, vi cujus *uterque* hoc jure coronationis gaudet, ſi illa peragenda in *Urbe ſuæ Diæceſeos*. Si vero *extra utriusque Diœceſin*, tunc placuit *Alternatio*. vid. Tranſactio apud Limn. *ad A. B. C. 4. §. 3. obſ. 4.* quæ & confirmata eſt in *Capitul. Joſeph. art. 36.* Probe vero notandum eſt, non fuiſſe controverſiam *de Actu Impoſitionis Coronæ*. Nam ad hunc, per notam praxin, *omnes tres Archi-Præſules* concurrunt, ſed de *Actu Coronationis & Benedictionis*. vid. *Diſſ. de Mut. A. B. §. 19.*

19. *Num poteſt Elector Eccleſiaſticus nondum* Infulatus *Coronationem ſuſcipere?*

Reſp. Neg. Nam Eccleſiaſtici Electores ea quæ ordinis *ſunt*, vid. *A. B. c. 23.* antea peragere non poſſunt, priusquam juxta *Cap. 4. X. de Tranſlat. Epiſc. Cap. 15. X. de Elect.* rite conſecrati & infulati ſunt. Hinc cum 1630. coronanda eſſet *Eleonora* Auguſta, & nec Moguntinus nec Colonienſis eo tempore Infula legitima gauderent, exercitium hujus Coronationis Trevirenſi ceſſit. Schwed. *P. Spec. ſect. 1. c. 2. §. 33.*

20. *Quid porro obſervandum eſt circa Coronationem Imperatoriam?*

Reſp. Solennitates & alia Ceremonialia, quæ prolixe ſatis recenſentur a Schwedero *P. Spec. S. 1. c. 2. §. 34.* add. Germanica Deſcriptio *Actus Electionis & Coronationis Joſephi*, quæ *adjecta*

jecta eſt der Grundf. *Ed. de 1706. in fin.* Ceterum in hiſce *mere Ceremonialibus* addiſcendis plus proficitur *autopſia* & praxi, quam operoſa lectione.

21. *Nihilne alias circa iſta ſolennia notandum eſt?*

Reſp. Ex principiis Evangelicorum ſunt nonnulla, quæ *ſuperſtitioſa* videri poſſunt, verum illorum obſervantia, etiam futura, partim antiquitate, partim approbantium multitudine, facile ſemet defendet. Interim *Juramentum* quod cogitur coronandus Cæſar præſtare de *Papa honorando*, ipſius generoſis conatibus de ſtrenue vindicandis juribus in Italiam, non præciſe obex eſſe poteſt, ſi modo in Ejus Conſilio Sanctiori negotia *politica* a ſic dictis *ſpiritualibus* probe ſeparentur, exemplo *Gallorum*, inter quorum hodiernum Regem & Pontifices a Clemente X. usque Innocentium XII. de *libertate Eccleſiarum Gallicanarum* & *Jure*, ut vocant, *Regaliæ*, ſtrenue certatum eſt. conf. Gilb. Burnet. *Tr. de Bellis inteſtinis Papatus, cujus pars huc ſpectans 1689. ex lingua Anglicana in Germanicam translata eſt.* Sic non obſtitit hoc juramentum, quo minus in bello, quod ſuper ſucceſſione Hiſpanica hoc ſeculo geſtum eſt, *Provinciæ Italicæ* & partim *Subfeuda Sedis Romanæ* contributionis oneri ſubjectæ fuerint, ringente licet Curia Romana.

CAPUT

CAPUT II.

DE IMPERATORIS JURIBUS Intuitu totius Imperii ET DE RESERVATIS IMPERATORIS

AXIOMATA GENERALIA.

1. Imperator eſt *Caput Imperii*; ſed *ſalvis Membrorum juribus* & juxta conventiones publicas fundamentales, ſigillatim *Capitulationes*.
2. Imperator in Negotiis *communi conſenſu* expediendis, in *Comitiis & extra illa*, *primas ubique partes* ſuſtinet.
3. In controverſiis Statuum ſuper *præcedentia*, Imperator *judicium*, arbitrio haud abſimile, *exercet*.
4. Ab Imperatore petenda, quæ ad *Statuum Legitimitatem & exiſtimationem* pertinent.
5. Imperator nonnulla jura in Statuum territoriis, quæ innoxia ſunt ipſorum Superioritati territoriali, exercet.

Quæſtio I.
Quid conſequitur Imperator Electione & Coronatione?

Reſp. Imperium in *Reliquias imperii Romani* & *Regnum Longobardicum*, *omnesque alias Provincias*, quæ a tempore *Ottonis M.* cum Germania coaluerunt & ei ſubfuerunt, nec *idoneo & legitimo titulo* exemptæ ſunt. Sigillatim vero *Regimen in Germania* ei defertur, add. Conring. *de Germanor. Imperio Rom.*

2. *Num hoc ultimum eſt abſolutum?*

Reſp. Minime gentium. Accipit Regimen

men, ſed juxta menſuram Capitulationum, ſive ſalua Statuum *Superioritate Territoriali*; quæ non a *beneficio* aut *beneplacito* Cæſaris dependet, ſed in Statuum terris radicata eſt, & ab ipſis *jure proprio* poſſidetur. conf. Lampad. *de Republ. Germ. P.3.c.3.*

3. Quæ itaque eſt poteſtas Cæſaris intuitu Imperii?

Reſp. Jura Cæſarea *univerſalia* commode in *tres Claſſes* diſpeſcuntur.

I. Quod in omnibus negotiis, totum Imperium concernentibus, non tantum concurrat; ſed primas *ubique partes agat.* v. c. in Comitiis.

II. Ea ab ipſo petenda ſint, quæ ad Statuum exiſtimationem & legitimitatem ſpectant.

III. Ea poſſit facere in Statuum territoriis, quæ eorum ſuperioritatem Territorialem non turbant.

Pars hujus poteſtatis Cæſareæ, nomine *Reſervatorum Cæſareorum* vulgo venire ſolet, add. Bœcler. *Not. Imp. L.4.c.1.n.4.6.* ſcilicet ea jura, quæ Imperator *ſolus* & *ſeorſim* exercet. Verum nil impedit, quin *totus complexus jurium imperatoriorum*, tam vulgo ſic dictorum Reſervatorum, quam illorum, quæ ſimul cum Statibus exercet, nomine *Majeſtatis reſervatæ* indigitetur. conf. D. Titius *J.P.L.5.c.3.*

4. Quænam ſunt Jura Imperatoris ſpecialia juxta claſſem primam?

Reſp. Huc pertinet (1) Jus *propoſitionem in Comitiis*, & inde pendens, licet non præciſe,

ordo

ordo tractationis, faciendi. Schwed. ſpec. S. 1. c. 19.

(2) Jus *dirigendi conventus publicos.*

(3) Jus *Suffragii in omnibus negotiis comitialibus.* Hinc nonnulli cum Schützio *J.P. Vol. 1. Diſp. 10. th. 15.* Imperatori *ſemiſſem poteſtatis* in Comitiis adſcribunt, quod tamen cum grano ſalis intelligendum eſt. conf. *J. P. Prud. diſſ. X. §. 14.*

(4) Jus Acta publica *ſuo nomine* expediendi.

(5) *Jus prouidendi, ne Imperium quid detrimenti capiat.* conf. *Capit. Leop. art. 13. in f.*

5. Nonne alia jura ſunt huc pertinentia?

Reſp. Referunt nonnulli ad hanc claſſem *Jus Legationis Imperii proprio abitratu & nomine expediendæ.* Verum hoc perperam, contra obſeruantiam Imperii & conuentiones publicas, *ſoli Imperatori* adſcribitur, ceu prolixe hoc deduxit Dn. Ludwig. *pecul. Tr. de Jure Adlegandi Principum Imperii.*

6. Quænam juxta Claſſem ſecundam jura Imperatoris ſunt?

Reſp. Huc ſpectant:

(1) Jus *Inveſtiendis* de *Feudi immediatis Eccleſiaſticis* & *Profanis*: Zepter und Fahnen-Lehen. Quod tamen de *ſolo Actu inveſtituræ* capiendum eſt, nam *collatio Feudi aperti* a ſolo Imperatore haud pendet. vid. Schwed. *P. ſpec. S. I. c. 23. §. 9.*

(2) Jus *veniam ætatis* Statibus concedendi. Exempla recentia ſuppeditat *J. P. Prud. Diſſ. V. §. 17.*

(3) Jus

(3) Jus *Legitimandi* illos, qui deinceps jus Statuum ſint acquiſituri, tum & alios cujuscunque dignitatis.

(4) Priuilegia v. c. de *Non Appellando* Statibus concedendi. *R. J. d. 1654. §. 115.*

(5) Conferendi *Dignitates* & augendi *Territoriorum Titulos*. Cujus rei nuper bina exempla illuſtria intuitu *Comitatus Meurſæ* & *Dynaſtiæ Mundelheimenſis*, contigerunt, quarum vna in gratiam Sacræ Regiæ Maj. *Boruſſicæ*, altera Ducis *Marlborugii*, ob rem præclare contra hoſtes Imperii geſtam, in *Principatum* evecta eſt.

7. *Quænam jura exercet Imperator juxta claſſem tertiam?*

Reſp. Sunt *illa*, quæ vulgo *Reſervata Imperatoria* vocantur, & eorum explicatio vel ideo delicatioris tractationis, quod facillimo negotio in *Superioritatem Territorialem impingi* poſſit. Quapropter ipſi etiam Cæſarei Legati, cum tempore Pacis Weſtphalicæ condendæ a Suecis & Gallis urgerentur, *catalogum horum Reſervatorum edere*, hoc declinaverunt. vid. Itter *de Grad. Acad. c. 6. §. 3.* Interim *natura & indoles* horum Reſeruatorum, ex *ſtatu rerum præſentium* hæc eſſe videtur: Status poſſident ſub Titulo Superioritatis T. *proprio jure* omnia jura Majeſtatica & Regalia, quibus ad civitatis conſervationem opus eſt. Hinc videtur iis non denegari poſſe, *exercitium minuto-*

um iſtorum jurium, quæ in ipſorum Territoriis ab Imperatore expediuntur. Quæ, cum tamen Imperator exerceat, *Statibus volentibus*, ratio rerum Civilium ſvadet, vt Imperatores *Civilitatem* Statuum *facilitate* compenſent, & ea, quæ honoris & commoditatis gratia ab Ipſo petuntur, Statibus, maxime potentioribus, temere non denegent. add. Dn. Thomaſ. *Diſſ. de injuſt. oppoſit. Jurium Stat. & Reſervat. Imperat.*

8. Quot ergo Jura Reſervata Imperatoris ſunt?
Reſp. Inter illa enumeratur

(1) Jus *Primariarum precum*, vi cujus per univerſum Imperium in *quolibet* Capitulo, *immediato* & *mediato*, *ſemel* unam perſonam, ſed ſecundum naturam Beneficii idoneam in menſibus tam *Papalibus* vel *Capitularibus* vacantiæ, immediate vel mediate repræſentat ita, ut *Preciſta* omnibus præferatur. Hoc tamen reſtringendum vi *Inſtr. P. Art. V.* §. *26.* ad fundationes mediatas, in quibus hoc jus exercuit Imperator ante ſolennem terminum *1. Jan. 1624.* Sic ex gr. ob eam cauſam *Rex Boruſſiæ*, qua Status Imperii, in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis ſuæ ditionis *jus primariarum precum* exercet, quod teſtantur viri illuſtres, Rhetius *J. P. L. 1. tit. 16.* §. *8.* & Strykius *de Jure Papali Principum Evangel.* Idem jus in *Femininis fundationibus* vindicandum ſibi curavit Electrix Brandenburgica, de qua videatur deductio apud Schilt. *de Libert. Eccleſ. Germ. in App.*

(2) Jus *Academias*, ſive *Univerſitates IV. Facultatum* in Statuum Territoriis fundandi. conf. Bœcler. *Not. Imp. L. 23. c. 1.* Interim non improbabilis eſt illorum opinio, qui, propria autoritate Status Academias erigere poſſe, aſſerunt cum Rhetio *Diſſ. de Jure Stat. circa Sacra cap. 3. in f.* ſuadet tamen prudentia, majoris commoditatis gratia, *Privilegia Imperatoria* deſuper impetrare, quod etiam in noviſſima fundatione *Univerſitatis Hallenſis* obſervatum eſt, quæ inſuper, ex ſuperabundanti *Privilegiis Papæ* inſtructa eſt. conf. B. Cellarii *Hiſtoria Inaugurationis Academiæ Fridericianæ.*

(3) Jus *Civitatis dandæ.* Verum & hoc Statibus pro lubitu licere, recte contendit Schwederus. *P. Spec. Sect. 1. c. 18. §. 3.* & quæ in contrarium dubia moveri poſſent, eliſa ſunt a Dn. Thomaſ. *Diſſ. de Jure Dandæ Civitat.* & experientia quotidiana nullum relinquit dubium.

(4) Jus *Nobilitandi* aliosque *Titulos* largiendi; quod tamen & Statibus vindicat ſolide ill. Coccejus *Diſſ. de Poteſtat. Stat. Imp. circ. dignitat. Cap. 3.* Et ſane ex mera permiſſione hoc jus exerceri, vel inde ſatis conjici poteſt, quod v. c. in terris Brandenburgicis nobilitatus Viennæ non pro tali reputetur, niſi *antea Cauſas in Aula Berolinenſi* indicavit ac conſenſum impetravit, vid. Kulpiſ. *ad Monz. c. 5. §. 27.*

(5) Referunt huc etiam jus *ultimæ Cognitionis*, vi cujus a Statuum ſubditis ad Cæſarem, que-

querela *protractæ* aut *denegatæ Juſtitiæ* devolvi poſſit. Verum rarior fortaſſe hujus querelæ uſus, cum inde læſo parum ſolatii acceſſurum videatur, & præterea per *literas informatorias* in Capitulationibus injunctas valde reſtrictum ſit. vid. *Capit. Joſeph art. 17.*

(6) Jus *legitimandi Spurios*, *Notarios*, *Poetas laureatos*, & id generis alias dignitates minutas creandi. Quod plerumque per *Comites Palatinos Cæſareos* in Territoriis Statuum exerceri ſolet, quorum poteſtas modo amplior, modo reſtrictior ex Diplomate concedentis ſumenda. conf. Mundii & Sagittarii *Tr. de Comitibus Palatinis; cum judicio tamen legendi, quia cum judicio non ſcripſerunt.* Status vero, maxime potentiores, ipſos in ſuis territoriis exercuiſſe interdum jus Legitimationis, exemplum *Joachimi II. El. Brand.* comprobat apud Scheplitz. *Conſt. March. P. 4. tit. 12. qu. 9.* add. Dn. Hertius *de Superior. territ. §. 16.* Quas legitimationes etiam *extra Territorium* valere, contendit Dn. Coccej. *J. P. c. 23. S. 1. n. 9.*

9. Quare Status non ipſi Notarios creandos, Spurios legitimandos curant?

Reſp. Poſſent hoc jure, & omnibus recenſitis, propria autoritate uti in terris ſuis, per *Artic. Gaudeant. VIII. Inſtr. Pac.* add Dn. Rhet. *Comment. Jur. Feudal. proœm. n. 50.* Attamen, quia v. c. *graduum Academicorum* collatio, *Notariorum* conſtitutio, *legitimatio* & ſimilia ſunt *Actus*

tranſeuntes h. e. quorum vis in *multis territoriis* debet eſſe efficax, conſulto tolerantur. Interim Notariis injungi poſſet, Inſtrumentis ſuis non ſolum *nomen Imperatoris*, ſed & *ſimul Principis*, in cujus territorio degunt, præponere, ad Principum poteſtatem ſimul indigitandam.

10. Nonne plura dantur Reſervata?

Reſp. Recenſentur nonnulla communiter a Publiciſtis. Verum quia illa dubia ſunt, & *impingunt in Superioritatem* Statuum, conſulto omittuntur. Interim adduxi, cum epicriſi tamen, in *J. P. Prud. Diſſ. V. §. 20. Stamlerus* panegyriſta Reſervatorum Cæſareorum, ſi juxta præſentia principia perpendatur, neminem facile in præcipitia trahet, aut hodiernorum *Stamleriorum* favor erga Cæſarem alicui offendiculo erit.

CAPUT III.
DE
MAJESTATE ET DIGNITATE IMPERATORIS.

AXIOMATA GENERALIA.

1. Imperatoris in Imperio jura *Majeſtatica* ſunt, nec ille cum *Duce Venetorum*, aut *Generali Capitaneo Belgii Fœderati* comparandus eſt.
2. Imperator conventione *expreſſa*, aut *tacita* præcedit omnes principes Europæ
3. *Advocatia Orbis Chriſtiani*, Imperatori rudioribus Seculis conceſſa, *paci Religioſæ* in Germania præjudicio eſſe non debet.

Quæſtio

Quæſtio I.

Num Imperator Majeſtate gaudet?

Reſp. Vulgo diſtinguitur cum *Limnæo*, quem defendit Strauch. *Diſſ. exoter. 1.* inter *Summitatem* poteſtatis,& ejusdem *plenitudinem*. Verum his objicit non præter rem Rachelius *de Capitul. Cap. VI.* §. 4. quod plenitudo Poteſtatis, *ſit ipſa formalis ratio maieſtatis*, & quod propterea non appareat, quo pacto majeſtas Imperatoris ſalva evadere poſſit, ſi ex conceſſione Limnæi & ſequacium *plenitudo imminuatur* per Conventiones Capitulationum.

2. *Quæ harum Opinionum approbanda eſt?*

Reſp. Quicquid ſit de terminis *plenitudinis* & *ſummitatis*, intricata controverſia iſthæc, citra floſculos Metaphyſicos, enodari poſſe videtur; quod Majeſtas ſive ſummum in Civitate imperium conſiſtat quidem in *independente* & *libero* exercitio jurium Regalium, quibus ad conſervationem Reipublicæ opus eſt. Sed ſi exercitium horum jurium eſt temperatum aut reſtrictum, tunc non quidem plenitudo poteſtatis adeſt, ſive *Imperium abſolutum*; ſummitas tamen ſalva videtur, ſi per *pacta non transfertur poteſtas* ad eos, quibus promittitur, contra facta reſcindendi, ſed tantum clauſula annullatoria. add. Dn. Stryk. *de Negot. Capitulat.* Cæſar. *annullat. cap. 1.* §. 12.

3. *Dignitate & Præcedentia num antecellit Imperator reliquos Principes?*

Reſp. Gaudet hac prærogativa ex conventione *expreſſa* aut *tacita* reliquorum Regum & Principum. Cauſa impulſiva vero, quod Ipſi reliqui potiorem locum a multis ſeculis conſtanter reliquerint, haud dubie arceſſenda erit; tum a vaſti Corporis Imperii, maxime uti ſub *Ottonibus* fuit, potentia: tum & ob jus *in Imperii Romani reliquias* per Ottonem M. Regibus Germanicis *quæſitum* & inde aſſumtum Imperatorium titulum, vid. Conring. *de Imp. Germ. Roman. cap. 11. §. 9.* Quippe Romani Imperii majeſtas & veneratio iſtis ſeculis adhuc ſatis vigebat.

4. Quinam alii tituli & jura Imperatori tribuuntur legibus Imperii?

Reſp. In *A. Bulla cap. 11. §. 3. ſequ.* Imperator *Caput temporale fidelium* vocatur & in *Receſſu Imperii de Anno 1592. §. 92. Advocatus Univerſalis Chriſtiani Orbis*, der Obriſte Voigt und Haupt der Chriſtenheit. Inde a multis ſeculis ſolennis appellatio fuit, quod ſit Imperator h. e. *Dux natus Chriſtianorum adverſus infideles, Enſifer, Archi-Mareſchallus* & *Brachium Seculare*, quorum titulorum indolem enucleavit Cæſarinus Furſtenerius *de Jure Legationis Principum Imperii in Præf.* & *cap. 31. ſequ.* Sed an illorum valor noſtris temporibus adhuc duret, cum rationibus negatur in *J. P. Prud. Diſſ. IV. ſ. 3. 4.*

5. Verum num hi tituli & in ſpecie Advocatia ſedis Romanæ Evangelicis præjudicium creare poſſet?

Reſp.

Reſp. Quamvis *Advocatia Sedis Romanæ* adhuc in *Capitulationibus* a Catholicis Electoribus Imperatoribus eligendis injungatur, vid. *Capit. Leopoldi & Joſephi Art. 1.* mox tamen additur; quod illa nullatenus in præjudicium jurium Publicorum *circa religionem Proteſtanticam* & *PacemReligioſam*, vergere debeat, ut adeo Imperator *æqualem Protectionem* Eccleſiis trium Religionum in Imperio, vi Legum fundamentalium debeat. conf Dn. Strykii *Diſſ. de Negot. Capitul. Cæſar. annull. cap. 11. §. 5.* Quod contra *famoſam clauſulam Articuli IV Pacis Ryſvicenſis*, Legatis Cæſareis tempore hujus pacis occinere jure potuerunt Legati Statuum Evangelicorum.

6. Ergo juramentum, quod Imperatores præſtant in Coronatione de reverentia Pontifici exhibenda, eodem modo intelligendum erit?

Reſp. Omnino. Et hoc juramentum, quod etiam ab Imperatore Joſepho præſtitum eſt, vid. Ferrarii *Deſcript. Coronat. c. 3. p. 135.* videtur originem trahere a formula jurandi, qua *Otto M.* Papæ ſemet obſtrinxiſſe dicitur in *Can. Tibi Domino 33. Diſtinct 63.* quod licet Goldaſtus *in Ration. ad Tom. 3. Imp. Conſt. p. 43.* pro *figmento Gratiani* reputet; tamen non ex omni parte falſum, quamvis interpolatum agnoſcit Schilt. *de Libert. Eccl. Germ. L. 3. c. 5. ſ. 9.* Clemens V. vero, pro ſolita ſedis ſuæ modeſtia,

venditat illud pro *Juramento fidelitatis* in *Clem. un. de Jurej.* cum tamen tantum *juramentum Protectionis* fuerit, ſalvo *Dominio Imperii directo* in Italiam. conf. Maurit. *Annot. ad Capitul. Leop. Art. 1. in f.*

7. *Qui ſunt reliqui tituli Imperatoris?*

Reſp. Vocant ſe *Imperatores Electos*, quod perperam nonnulli *uſui Coronationis Romanæ* adſcribunt, cum Carolus V. & *ante* & *poſt Coronationem Romanam*, ſe ita vocaverit. Tempore *Friderici I.* Titulus *Semper Auguſti*, allezeit mehrer des Reichs, acceſſit, & a Maximiliano I. idoneis rationibus nixo, appellatio *Regis Germaniæ* adjecta eſt. vid. *ſupra L. 1. C. 1. qu. 13.*

8. *Quodnam eſt Inſigne Imperii?*

Reſp. *Aquila*, vetus Majeſtatis Romanæ Symbolum. Quare vero *Biceps* & tantum non monſtroſa forma placuerit, videas a multis multas ex Hœpingio *Tr. de Jure Armor.* & aliis Heraldicis Scriptoribus rationes ſuppeditari, & prolixior, quam opus fuiſſet, in hac re, ad *Heraldicam*, peculiarem diſciplinam, pertinente, deprehenditur Dn. *Schweder. J. P. Part. Spec. Sect. I. c. 1. §. 16. ſeq.* Verum cum ſalus Imperii in hiſce non vertatur, cuique ſuo ſenſu abundare in *Philoſophia Inſignium* lubentes permittimus.

CAPUT IV.

DE
MODIS QVIBUS IMPERATOR ESSE DESINIT.

AXIOM. GENERAL.

1. Imperator *reſignare Imperium* tempore Pacis *libere* poteſt, & ſufficit ſcientia Statuum, aliud dicendum eſt, ſi *periculoſo tempore* fiat.
2. Exautoratio Imperatoris, niſi animo ejus hoſtili in Rempublicam plane apparente, non ſuſcipienda, & ſi fieret, *conſenſu totius Imperii* opus foret.
3. In *Depoſitione Venceslai* & aliorum facta a jure probe ſeparanda ſunt.

Quæſtio I.
Quibus modis Imperator eſſe deſinit?

Reſp. Tribus. (1) *Morte*, (2) *Spontanea Reſignatione*, (3) *Exautoratione* ſive *Depoſitione*. Quanto autem frequentior primus ſecundum leges & ordinem humanæ naturæ; tanto rariores ſunt duo poſteriores.

2. Plane ergo exemplum ſpontaneæ Reſignationis non occurrit?

Reſp. Poteſt in medium afferri *Abdicatio Caroli V*. Rationes ultroneæ Reſignationis Dignitatis Imperialis, quam antea ipſe & Franciſcus I. æmulo ſtudio ardentiſſime anhelabant, Receſſui de 1559. inſertæ ſunt; (1) ſein obliegendes Alter, (2) immerwehrende Leibes-Schwachheit, (3) Augenſcheinliche Unvermögenheit. Sunt hæc ſaltem cauſæ *juſtificæ*, quænam

vero *ſuaſoriæ* fuerint, multi conjectando aſſequi voluerunt. vid. Fam. a Strada *Decas 1. Bell. Belgic.*

3. Cujus præſcitu Reſignatio hæc facta eſt?

Reſp. Electorum. Huc pertinent verba all. Rec. Mit Vorwiſſen des H. Reichs Chur-fürſten verlaſſen, reſigniret und übergeben &c.

4. Nonne in manus Pontificis facienda fuiſ-ſet reſignatio?

Reſp. Satis impudens hoc poſtulatum fuit Pontificis ex *prætenſa* & *imaginaria* collatione & confirmatione nominis Cæſarei. conf. Conring. *ad Lampad. P. 3. c. 2. §. 7.*

5. Num etiam extant Exautorationum Imperatorum Exempla?

Reſp. Aff. cum Hiſtoria Germanica præcedentium Seculorum ſuppeditet Depoſitionem *Henrici IV. Adolphi Naſſovii & Venceslai.*

6. Exautoratio Imperatorum num juſta eſſe poteſt?

Reſp. Licet hiſce Exemplis probari hoc non poſſit, cum non exemplis, ſed legibus judicandum ſit, & in iſtis *factum* a *jure* probe ſeparare par ſit; Attamen quin depoſitio Cæſaris *juſta* eſſe poſſit, licet temporum noſtrorum humanitas caſus contingentiam aliquando timere vetet, a legibus fundamentalibus Imperii, & iis nixo ſtatu ejusdem non abhorret, cum *Status Co-Imperantes* ſint, & Imperator intuitu Imperii *ſolus Majeſtatem non habeat*, qui, ſi non ceſſaret *animum hoſtilem* erga Rempublicam induendo, ut nulla admonitione contraventiones ſiſti poſſent; nec

ſaluti

ſaluti Reip. niſi mutata perſona Imperatoris proſpici poſſet, tum per modum non præciſe *imperii*, ſed *Belli*, quod *legitimæ defenſionis rationem* habiturum eſſet, quin exautorari poſſet, verius eſt. conf. Dn. Stryk. *de Negot. Capitul. Cæſar. annull. cap. I. §. 14.*

7. *Verum quis hoc caſu hanc Exautorationem ſuſcipere poſſet?*

Reſp. Non *Pontifex* Romanus, ceu temerarie ſatis nonnulli ei hoc vindicant apud Buxtorff. *Diſc. ad A. Bull. concl. 11. lit. G.* Nec *Comes Palatinus* ad Rhenum, ob male intellectum *textum A. Bullæ c. 5. §. 3.* qui, an ad publicas cauſas pertineat, merito dubium videtur Dn. Coccejo *J. P. Prud. c. 16. §. 14.* Nec ſufficit *ſolius Collegii Electoralis* conſenſus, hoc modo enim ſimul locum habere videtur *pluralitas votorum*, quod ab abſurditatis & iniquitatis nota vix abſolvi poſſet. Hinc potius dicendum, quod *toti Imperio* hæc poteſtas tantum adſcribenda ſit.

CAPUT V.
DE
IMPERATRICE.
ſive
AUGUSTA.

GENERALIA AXIOMATA.

1. Auguſtarum conditio ſub Imperatoribus *Francicis* & *Saxonicis* ſatis lauta, dum in *conſortium Imperii* aſſumptæ fuerunt; quod hodie ſecus.

2. Augu-

2. Auguſtæ habent etiam ſuos officiales, quo pertinet dignitas Cancellariatus *Abbatis Fuldenſis.*

Quæſtio 1.

Num etiam Imperatrices Auguſtæ vocandæ ſunt?

Reſp. *Auguſtæ* titulo *Livia* Auguſti Cæſaris conjux primitus honorata eſt a Senatu, una cum *Matris Patriæ* titulo. Tacitus *L. 1. Annal. c. 14.* add. Schurtzfl. *Diſſ. de Titulo Auguſti.* Nam non ipſo jure Connubii *Auguſtæ jura* obtinebant tunc Imperatrices, ſed cum in Auguſtam renunciarentur. vid. Schilt. *J. P. L. I. tit. 16.* §. 1. Succeſſu vero temporis Auguſtæ nomen & privilegia Imperatoris & Regis Conjugi *qua tali* atque *ipſo jure connubii* competiere.

2. *Num Auguſtæ in conſortium Imperii aſſumuntur?*

Reſp. Sub Imperatoribus tam *Francicis* quam *Saxonicis* tam lauta conditio Auguſtarum fere erat, dum in Curiis Judicialibus ſedes iis aſſignatæ proxime ab Imperatore, & in conſortium curarum publicarum admiſſæ ſunt. vid. Goldaſt. *tom. 3. Conſtit. Imper. f. 292.* cauſas ſuaſorias attigi *in J. P. Prud. Diſſ. IV. §. 25.*

3. Sed num hoc hodie mutatum eſt?

Reſp. Ita, quoad conſortium Imperii. Nam præter ſplendorem & *reverentiam ſummam* Auguſtarum *perſonalem*, ob connubii vinculum, illæ cancellos *privatarum* & *ſubditarum* Maritorum ſuorum non egrediuntur.

4. Si

4. Si Auguſta convenienda modo Judiciali, quis Ejus Judex?

Reſp. Limnæus ad *A.B.c.5.§.f.obſ.4.* diſtinguit; utrum Auguſta conveniatur ab alio; an ab ipſo Imperatore? priori caſu coram Imperatore conveniri poſſe, hunc vero ſuſpicionis evitandæ cauſa, citra dubium aliis hoc commiſſurum eſſe; poſteriori caſu, vi poteſtatis ſuæ Judices conſtituere, illisque judicium committere poſſe. add. Schütz. *J. P. Vol.1. Diſp.7. th.22. D.* Alias notabile eſt judicium *Ottonis III.* Imp. qui *Mariam* Conjugem laſcivam & per calumniam homicidii Comitis *Mutinenſis* ream, ad vivicomburium condemnavit, cognita cauſa in Senatu Principum. add. Schilt. *J.P.L.1. tit.16. §.3.* quem rigorem in Sereniſſimas perſonas genius ſeculi præſentis vix admiſſurus hoc caſu videtur. conf. diſcurſum Furſtenerii *de Jure Supremat. & Leg. Princ. Imp. c.29.*

5. Quodnam forum ſortitur Auguſta, quæ Vidua vivit, poſt Fata Conjugis?

Reſp. Imperatoris defuncti in Imperiali culmine Succeſſoris Jurisdictioni ſubeſt. conf. Dn. Stryk. *Diſſ. de Foro Principum & Privat. communi cap. I. n.25.*

6. Num & Auguſtas coronari moris eſt?

Reſp. Aff. Exemplum noviſſimum præbuit Auguſta Leopoldi Conjux, & ejusdem hodie vidua, quæ *Auguſtæ Vindelicorum* 1690. ſolenni ritu & magna pompa coronata eſt.

7. *Quem*

7. *Quem locum occupat Imperatrix in Proceſſione Coronat. Imperatoris?*

Reſp. Juxta *A. Bullam cap. 22. in* f. & *cap. 26. §. 5.* poſt Regem Bohemiæ. add. Limn. *ad A. B. c. 26. §. 5. obſ. 7.*

8. *Habetne etiam officiales?*

Reſp. *Abbas Fuldenſis* Cancellarius Auguſtæ audit, cujus officium in eo conſiſtere videtur, quod quoties Auguſtam coronari, aut veſte Imperiali vel Regia ſedere contigerit, ipſe coronam, quando a Capite deponenda eſt, aſſervet. Cujus juris & privilegii Carolum IV. Imp. autorem agnoſcit. Schwed. *P. Spec. Sect. 2. §. 10.* Auguſtarum Diplomata Fuldenſis ſubſcriptione inſignita non ſupereſſe, putat Mallinkrot. *de Archi-Cancell. cap. fin.* conf. Mabillon. *de Art. Diplomat. Lib. 2. c. 16. & 17.* Quid Goldaſtus *in Dedicatione Tom. II.* der Reichs-Satzungen Imperatrici *Annæ*, Matthiæ Cæſaris, Conjugi ſuadeat, circa *Archivum Auguſtæ*, hic exſcribere haud vacat.

CAPUT VI.
DE
REGIS ROMANORUM
ELECTIONE.

AXIOMATA GENERALIA.

1. Inter Imperatorem & Regem Romanorum *talis eſt differentia*, qualis inter Regem & ejus *ſucceſſorem certum.*

2. Regi

2. Regi Rom. vivo Imperatore *nulla Majeſtas* competit. De Majeſtate *perſonali vel titulari* nulla quæſtio eſt.
3. Regem Rom. eligunt Electores *citra præſcitum* & *conſenſum* reliquorum Statuum.

Quæſtio I.
Quid eſt Rex Romanorum?

Reſp. *Princeps, qui Imperatore vivo adhuc & ad gubernacula Imperii ſedente, ab Electoribus eligitur in certum Cæſaris ſucceſſorem.*

2. Quomodo eligitur?

Reſp. Eodem modo, quo *Cap. I. qu. 3.* de Electione Imperatoris actum eſt. Quo Seculo vero primitus cœptum eſt Regem Imperatori ſubſtituere, non liquet. vid. Bœcler. *Not. Imp. L. 4. c. 2.*

3. Num præciſe legibus Imperii injungitur hæc Electio extraordinaria Regis Romanorum?

Reſp. Fundamentali quadam ſanctione hoc non urgetur; obſervantia tamen multorum actuum hujus electionis, nec Imperio inutilis, nec Electorum libertati contraria deprehenditur.

4. Num Imperatore invito eligi poteſt Rex Romanorum?

Reſp. Sufficit ejus *præſcitus*, *Conſenſus* vero non eſt *de neceſſitate. Capit. Leopold. & Joſeph. art. 35. & 36.* ibi: Auch bey Lebzeiten eines Römiſchen Kayſers mit oder ohne deſſelben *Conſens* vorzunehmen. &c.

5. Num Electores ſine reliquorum Statuum conſenſu ſuſcipere hanc electionem poſſunt?

Reſp.

Reſp. Gaudet hac prærogativa ex conventione *expreſſa* aut *tacita* reliquorum Regum & Principum. Cauſa impulſiva vero, quod Ipſi reliqui potiorem locum a multis ſeculis conſtanter reliquerint, haud dubie arceſſenda erit; tum a vaſti Corporis Imperii, maxime uti ſub *Ottonibus* fuit, potentia: tum & ob jus *in Imperii Romani reliquias* per Ottonem M. Regibus Germanicis *quæſitum* & inde aſſumtum Imperatorium titulum, vid. Conring. *de Imp. Germ. Roman. cap. 11. §. 9.* Quippe Romani Imperii majeſtas & veneratio iſtis ſeculis adhuc ſatis vigebat.

4. Quinam alii tituli & jura Imperatori tribuuntur legibus Imperii?

Reſp. In *A. Bulla cap. 11. §. 3. ſequ.* Imperator *Caput temporale fidelium* vocatur & in *Receſſu Imperii de Anno 1592. §. 92. Advocatus Univerſalis Chriſtiani Orbis*, der Obriſte Voigt und Haupt der Chriſtenheit. Inde a multis ſeculis ſolennis appellatio fuit, quod ſit Imperator h. e. *Dux natus Chriſtianorum adverſus infideles, Enſifer, Archi-Mareſchallus* & *Brachium Seculare*, quorum titulorum indolem enucleavit Cæſarinus Furſtenerius *de Jure Legationis Principum Imperii in Præf.* & *cap. 31. ſequ.* Sed an illorum valor noſtris temporibus adhuc duret, cum rationibus negatur in *J. P. Prud. Diſſ. IV. ∫. 3. 4.*

5. Verum num hi tituli & in ſpecie Advocatia ſedis Romanæ Evangelicis præjudicium creare poſſet?

Reſp.

Reſp. Quamvis *Advocatia Sedis Romanæ* adhuc in *Capitulationibus* a Catholicis Electoribus Imperatoribus eligendis injungatur, vid. *Capit. Leopoldi & Joſephi Art. 1.* mox tamen additur; quod illa nullatenus in præjudicium jurium Publicorum *circa religionem Proteſtanticam* & *PacemReligioſam*, vergere debeat, ut adeo Imperator *æqualem Protectionem* Eccleſiis trium Religionum in Imperio, vi Legum fundamentalium debeat. conf Dn. Strykii *Diſſ. de Negot. Capitul. Cæſar. annull. cap. 11. §. 5.* Quod contra *famoſam clauſulam Articuli IV. Pacis Ryſvicenſis*, Legatis Cæſareis tempore hujus pacis occinere jure potuerunt Legati Statuum Evangelicorum.

6. *Ergo juramentum, quod Imperatores præſtant in Coronatione de reverentia Pontifici exhibenda, eodem modo intelligendum erit?*

Reſp. Omnino. Et hoc juramentum, quod etiam ab Imperatore Joſepho præſtitum eſt, vid. Ferrarii *Deſcript. Coronat. c. 3. p. 135.* videtur originem trahere a formula jurandi, qua *Otto M.* Papæ ſemet obſtrinxiſſe dicitur in *Can. Tibi Domino 33. Diſtinct 63.* quod licet Goldaſtus *in Ration. ad Tom. 3. Imp. Conſt. p. 43.* pro *figmento Gratiani* reputet; tamen non ex omni parte falſum, quamvis interpolatum agnoſcit Schilt. *de Libert. Eccl. Germ. L. 3. c. 5. §. 9.* Clemens V. vero, pro ſolita ſedis ſuæ modeſtia,

venditat illud pro *Juramento fidelitatis* in *Clem. un. de Jurej.* cum tamen tantum *juramentum Protectionis* fuerit, ſalvo *Dominio Imperii directo* in Italiam. conf. Maurit. *Annot. ad Capitul. Leop. Art. 1. in f.*

7. *Qui ſunt reliqui tituli Imperatoris?*

Reſp. Vocant ſe *Imperatores Electos*, quod perperam nonnulli *uſui Coronationis Romanæ* adſcribunt, cum Carolus V. & *ante* & *poſt Coronationem Romanam*, ſe ita vocaverit. Tempore *Friderici I.* Titulus *Semper Auguſti*, allezeit mehrer des Reichs, acceſſit, & a Maximiliano I. idoneis rationibus nixo, appellatio *Regis Germaniæ* adjecta eſt. vid. *ſupra L. 1. C. 1. qu. 13.*

8. *Quodnam eſt Inſigne Imperii?*

Reſp. *Aquila*, vetus Majeſtatis Romanæ Symbolum. Quare vero *Biceps* & tantum non monſtroſa forma placuerit, videas a multis multas ex Hœpingio *Tr. de Jure Armor.* & aliis Heraldicis Scriptoribus rationes ſuppeditari, & prolixior, quam opus fuiſſet, in hac re, ad *Heraldicam*, peculiarem diſciplinam, pertinente, deprehenditur Dn. *Schweder. J. P. Part. Spec. Sect. I. c. 1. §. 16. ſeq.* Verum cum ſalus Imperii in hiſce non vertatur, cuique ſuo ſenſu abundare in *Philoſophia Inſignium* lubentes permittimus.

CAPUT IV.

DE MODIS QVIBUS IMPERATOR ESSE DESINIT.

AXIOM. GENERAL.

1. Imperator *reſignare Imperium* tempore Pacis *libere* poteſt, & ſufficit ſcientia Statuum, aliud dicendum eſt, ſi *periculoſo tempore* fiat.
2. Exautoratio Imperatoris, niſi animo ejus hoſtili in Rempublicam plane apparente, non ſuſcipienda, & ſi fieret, *conſenſu totius Imperii* opus foret.
3. In *Depoſitione Venceslai* & aliorum facta a jure probe ſeparanda ſunt.

Quæſtio I.

Quibus modis Imperator eſſe deſinit?

Reſp. Tribus. (1) *Morte*, (2) *Spontanea Reſignatione*, (3) *Exautoratione* ſive *Depoſitione*. Quanto autem frequentior primus ſecundum leges & ordinem humanæ naturæ; tanto rariores ſunt duo poſteriores.

2. *Plane ergo exemplum ſpontaneæ Reſignationis non occurrit?*

Reſp. Poteſt in medium afferri *Abdicatio Caroli V.* Rationes ultroneæ Reſignationis Dignitatis Imperialis, quam antea ipſe & Franciſcus I. æmulo ſtudio ardentiſſime anhelabant, Receſſui de 1559. inſertæ ſunt, (1) ſein obliegendes Alter, (2) immerwehrende Leibes-Schwachheit, (3) Augenſcheinliche Unvermögenheit. Sunt hæc ſaltem cauſæ *juſtificæ*, quænam

 vero

vero *ſuaſoriæ* fuerint, multi conjectando aſſequi voluerunt. vid. Fam. a Strada *Decas 1. Bell. Belgic.*

3. Cujus præſcitu Reſignatio hæc facta eſt?

Reſp. Electorum. Huc pertinent verba all. Rec. Mit Vorwiſſen des H. Reichs Chur-fürſten verlaſſen, reſigniret und übergeben &c.

4. Nonne in manus Pontificis facienda fuiſſet reſignatio?

Reſp. Satis impudens hoc poſtulatum fuit Pontificis ex *prætenſa* & *imaginaria* collatione & confirmatione nominis Cæſarei. conf. Conring. *ad Lampad. P. 3. c. 2. ʃ. 7.*

5. Num etiam extant Exautorationum Imperatorum Exempla?

Reſp. Aff. cum Hiſtoria Germanica præcedentium Seculorum ſuppeditet Depoſitionem *Henrici IV. Adolphi Naſſovii & Venceslai.*

6. Exautoratio Imperatorum num juſta eſſe poteſt?

Reſp. Licet hiſce Exemplis probari hoc non poſſit, cum non exemplis, ſed legibus judicandum ſit, & in iſtis *factum* a *jure* probe ſeparare par ſit; Attamen quin depoſitio Cæſaris *juſta* eſſe poſſit, licet temporum noſtrorum humanitas caſus contingentiam aliquando timere vetet, a legibus fundamentalibus Imperii, & iis nixo ſtatu ejusdem non abhorret, cum *Status Co-Imperantes* ſint, & Imperator intuitu Imperii *ſolus Majeſtatem non habeat*, qui, ſi non ceſſaret *animum hoſtilem* erga Rempublicam induendo, ut nulla admonitione contraventiones ſiſti poſſent; nec

ſaluti

ſaluti Reip. niſi mutata perſona Imperatoris proſpici poſſet, tum per modum non præciſe *imperii*, ſed *Belli*, quod *legitimæ defenſionis rationem* habiturum eſſet, quin exautorari poſſet, verius eſt. conf. Dn. Stryk. *de Negot. Capitul. Cæſar. annull. cap. I.* §. 14.

7. *Verum quis hoc caſu hanc Exautorationem ſuſcipere poſſet?*

Reſp. Non *Pontifex* Romanus, ceu temerarie ſatis nonnulli ei hoc vindicant apud Buxtorff. *Diſc. ad A. Bull. concl. 11. lit. G.* Nec *Comes Palatinus* ad Rhenum, ob male intellectum *textum A. Bullæ c. 5. §. 3.* qui, an ad publicas cauſas pertineat, merito dubium videtur Dn. Coccejo *J. P. Prud. c. 16. §. 14.* Nec ſufficit *ſolius Collegii Electoralis* conſenſus, hoc modo enim ſimul locum habere videtur *pluralitas votorum*, quod ab abſurditatis & iniquitatis nota vix abſolvi poſſet. Hinc potius dicendum, quod *toti Imperio* hæc poteſtas tantum adſcribenda ſit.

CAPUT V.
DE
IMPERATRICE.
ſive
AUGUSTA.

GENERALIA AXIOMATA.

1. Auguſtarum conditio ſub Imperatoribus *Francicis & Saxonicis* ſatis lauta, dum in *conſortium Imperii* aſſumptæ fuerunt; quod hodie ſecus.

2. Augu-

2. Auguſtæ habent etiam ſuos officiales, quo pertinet dignitas Cancellariatus *Abbatis Fuldenſis*.

Quæſtio 1.
Num etiam Imperatrices Auguſtæ vocandæ ſunt?

Reſp. *Auguſtæ* titulo *Livia* Auguſti Cæſaris conjux primitus honorata eſt a Senatu, una cum *Matris Patriæ* titulo. Tacitus *L. 1. Annal. c. 14.* add. Schurtzfl. *Diſſ. de Titulo Auguſti.* Nam non ipſo jure Connubii *Auguſtæ jura* obtinebant tunc Imperatrices, ſed cum in Auguſtam renunciarentur. vid. Schilt. *J. P. L. I. tit. 16. §. 1.* Succeſſu vero temporis Auguſtæ nomen & privilegia Imperatoris & Regis Conjugi *qua tali* atque *ipſo jure connubii* competiere.

2. *Num Auguſtæ in conſortium Imperii aſſumuntur?*

Reſp. Sub Imperatoribus tam *Francicis* quam *Saxonicis* tam lauta conditio Auguſtarum fere erat, dum in Curiis Judicialibus ſedes iis aſſignatæ proxime ab Imperatore, & in conſortium curarum publicarum admiſſæ ſunt. vid. Goldaſt. *tom. 3. Conſtit. Imper. f. 292.* cauſas ſuaſorias attigi *in J. P. Prud. Diſſ. IV. §. 25.*

3. *Sed num hoc hodie mutatum eſt?*

Reſp. Ita, quoad conſortium Imperii. Nam præter ſplendorem & *reverentiam ſummam* Auguſtarum *perſonalem*, ob connubii vinculum, illæ cancellos *privatarum* & *ſubditarum* Maritorum ſuorum non egrediuntur.

4. Si

4. Si Auguſta convenienda modo Judiciali, quis Ejus Judex?

Reſp. Limnæus ad *A.B.c.5.§.f.obſ.4.* diſtinguit; utrum Auguſta conveniatur ab alio; an ab ipſo Imperatore? priori caſu coram Imperatore conveniri poſſe, hunc vero ſuſpicionis evitandæ cauſa, citra dubium aliis hoc commiſſurum eſſe; poſteriori caſu, vi poteſtatis ſuæ Judices conſtituere, illisque judicium committere poſſe. add. Schütz. *J.P. Vol.1. Diſp.7. th.22. D.* Alias notabile eſt judicium *Ottonis III.* Imp. qui *Mariam* Conjugem laſcivam & per calumniam homicidii Comitis *Mutinenſis* ream, ad vivicomburium condemnavit, cognita cauſa in Senatu Principum. add. Schilt. *J.P.L.1. tit.16.§.3.* quem rigorem in Sereniſſimas perſonas genius ſeculi præſentis vix admiſſurus hoc caſu videtur. conf. diſcurſum Furſtenerii *de Jure Supremat. & Leg. Princ. Imp. c. 29.*

5. Quodnam forum ſortitur Auguſta, quæ Vidua vivit, poſt Fata Conjugis?

Reſp. Imperatoris defuncti in Imperiali culmine Succeſſoris Jurisdictioni ſubeſt. conf. Dn. Stryk. *Diſſ. de Foro Principum & Privat. communi cap. I. n. 25.*

6. Num & Auguſtas coronari moris eſt?

Reſp. Aff. Exemplum noviſſimum præbuit Auguſta Leopoldi Conjux, & ejusdem hodie vidua, quæ *Auguſtæ Vindelicorum* 1690. ſolenni ritu & magna pompa coronata eſt.

2. Regi Rom. vivo Imperatore *nulla Majeſtas* competit. De Majeſtate *perſonali vel titulari* nulla quæſtio eſt.

3. Regem Rom. eligunt Electores *citra præſcitum* & *conſenſum* reliquorum Statuum.

Quæſtio I.

Quid eſt Rex Romanorum?

Reſp. *Princeps, qui Imperatore vivo adhuc & ad gubernacula Imperii ſedente, ab Electoribus eligitur in certum Cæſaris ſucceſſorem.*

2. *Quomodo eligitur?*

Reſp. Eodem modo, quo *Cap. I. qu. 3.* de Electione Imperatoris actum eſt. Quo Seculo vero primitus cœptum eſt Regem Imperatori ſubſtituere, non liquet. vid. Bœcler. *Not. Imp. L. 4. c. 2.*

3. *Num præciſe legibus Imperii injungitur hæc Electio extraordinaria Regis Romanorum?*

Reſp. Fundamentali quadam ſanctione hoc non urgetur; obſervantia tamen multorum actuum hujus electionis, nec Imperio inutilis, nec Electorum libertati contraria deprehenditur.

4. *Num Imperatore invito eligi poteſt Rex Romanorum?*

Reſp. Sufficit ejus *præſcitus*, *Conſenſus* vero non eſt *de neceſſitate. Capit. Leopold. & Joſeph. art. 35. & 36.* ibi: Auch bey Lebzeiten eines Römiſchen Kayſers mit oder ohne deſſelben *Conſens* vorzunehmen. &c.

5. *Num Electores ſine reliquorum Statuum conſenſu ſuſcipere hanc electionem poſſunt?*

Reſp.

Reſp. A Parte principum dubium hoc iis redditur, quia *A. B. Cap. I.* de *extraordinaria* hac electione Regis Romanorum nihil ſancit, & præterea pro ipſis allegatur *Inſt. P. art. 8. §. 3.* Verum Electores hactenus in *poſſeſſione*, ſine præſcitu & conſenſu reliquorum ad Electionem novi Regis procedendi, quoties hoc ipſis e re Imperii viſum eſt, fuerunt, & in *all. art. J. P.* ſaltem promittitur deciſio hujus controverſiæ, non vero datur.

6. Quid ſi Rex Rom. eligendus patrem habeat? an antea illius conſenſus requirendus eſt?

Reſp. Civilitatis & decori ergo, quamvis de ipſius cnnſenſu ex aliis argumentis ſatis antea jam certi ſint. Quid hoc caſu in Electione *Ferdinandi IV.* actum ſit inter patrem & Filium, recenſet Schwed. *S. I. c. 2. §. 7.*

7. Num Rex Romanorum Majeſtate gaudet?

Reſp. Si ſumatur pro *dignitate perſonali* ob certam ſpem Auguſtæ ſucceſſionis, non deneganda eſt ipſi, quippe *quæ* ei communi ſtylo Curiæ ab omnibus tribuitur; nec dubium, quod Statibus præferendus ſit ſuperiore loco. *R. Imp. d. 1555. §. 66.* Si vero de Majeſtate vel poteſtate, qua Imperator in Imperio fruitur, ſermo eſt, habet illam, ſi terminis ſcholæ uti lubet, actu *primo*, ſed non *ſecundo* ſive exercito, quippe quod quieſcit vivo Imperatore, pertinet huc clauſula *Capitul. Joſeph. §. 47.*

So lange Ihre Käyſerl. Maj. am Leben, keiner Regierung oder *Adminiſtration* uns unterziehen ꝛc.

8. Ergo, quæ in Capitulatione Regi Rom. præſcribuntur, futurum tantum regimen reſpicient?

Reſp. Omnino, & ille nil imperatorii officii facere poteſt, niſi ex commiſſione Imperatoris. Bœcler. *Not. Imp. L. 4. c. 7.* Hinc qui *veram Majeſtatem* ei tribuunt, cum non nemine in *Diſſert. de Commiſſ. Imp. n. 16. & de Rege Roman. n. E.* æque prudenter philoſophantur ac illi, qui *Delphinum* in Gallia, vel Principem *Aſturiæ* in Hiſpania aut *Walliæ* in Anglia veram Majeſtatem habere, ſerio contendere vellent. Nam verbo: *Inter Imperatorem & Regem Romanum ea eſt differentia, quæ inter Regem & futurum Regni Succeſſorem.*

9. Rex Rom. num præcedit reliquos Reges?

Reſp. Affirmat hoc Cruſius *Tr. de Proedria Jur. L. 3. c. 2. ſequ.* Verum non apparet ratio idonea, quare actu regnans, ob ſpem futuram Regni alteri cedere loco debeat, tutius interim ab *obſervantia* hoc derivaſſet.

10. Quodnam Ejus Inſigne?

Reſp. *Aquilam* gerit *unicipitem*, dextro ſolo capite prominente. Reliqua videantur apud Hoping. *de Jure Armor. c. 6. n. 363.*

CAPUT VII.
DE
VICARIIS IMPERII.

GENERALIA AXIOMATA.

1. Pro diverſitate *duplicis* Juris *Rhenani* & *Saxonici* duo *Palatini*, qui Vicarii Imperii.
2. Saxo in quieta poſſeſſione. Sed de Vicariatu Rhenano lis *Bavarum* inter & *Palatinum*.
3. *Vicariis* competit *omnis poteſtas Imperatoria*, excepta Inveſtitura Feudorum Principalium.
4. *Vicariatus* viget, Imperatore etiam *abſente* vel *minorenni*.

Quæſtio I.
Quid ſunt Vicarii Imperii?

Reſp. *Principes, qui juxta Leges fundamentales Imperii, Throno legitime vacante, vel impedito, juribus Imperatoris funguntur.*

2. Ubi fundata eſt Conſtitutio Vicariorum Imperii?

Reſp. In *A. Bulla cap. 5.* Per quod vero tempus ante illam in uſu fuerint, non exacte conſtat. Schwed. *P. Spec. S. I. c. 33. §. 3.*

3. Penes quos hæc Dignitas Vicariatus eſt?

Reſp. Juxta eandem A. B. penes Electorem *Palatinatus* ad Rhenum & Electorem *Saxoniæ*.

4. Quare ad haſce Domus Vicariatus adſtrictus fuit?

Reſp. Hoc perquam obſcurum eſt. Interim veriſimiliter poteſt aſſeri, quod Vicariatus originem traxerit ex vetuſto jure *Præfecturæ Palatii*, cujus hos *duos Principes* ab antiquis-

ſimis

ſimis temporibus participes fuiſſe, condendit Melch. Goldaſt. *in Ration. ad tom. 1. Conſt. & Reſcrip. Imp. p. 99.* Scilicet fuerunt a vetuſtis temporibus *duo ſumma Tribunalia*, ſive ſtylo illius ævi, *Palatia*, pro diverſitate duplicis juris, quo Germania utebatur, nimirum *Franconicum* vel *Rhenanum*, & *Saxonicum*, & his præfecti *Comites Palatii* dicebantur. Quæ adpellatio penes Electorem ad Rhenum conſtanter manſit; & quamvis apud Saxones poſtea in deſvetudinem abierit, certum tamen eſt, olim Electores Saxoniæ, ſe *Comites Palatinos* ſcripſiſſe, & nota eſt hujus juris ſedes in der Pfalz-Aldſtädt, quorſum olim ipſi Imperatores ſe contulerunt, vel juris dicendi, vel experiundi cauſa add. Ill. Dn. Coccej. *J. P. Cap. 16.* add. Sagittarius in *Antiquit. Aldſtadenſibus* §. 3. Alii tamen veſtigia hujus Palatinatus Saxonici etiam in *Schartau* hæſiſſe, autumant cum Dn. Zech. *in Fecial. Europ. p. 241.* Giovanni *in Germ. Princ. c. 4. p. 166.* hunc Palatinatum Saxonicum *Provincialem* ſolummodo fuiſſe, probare nititur.

5. Num hi duo Electores quiete juris hujus exercitio gaudent?

Reſp. De Saxonico Electore hoc certum eſt. Verum Electori Palatino poſt mortem *Ferdinandi III.* actis controverſia mota eſt a Bavaro ſuper Vicariatus exercitio, de qua re poterunt conſuli allegata ſcripta a Kulpiſio *ad Monz. c. 4. §. 8. p. 64.* & Schwedero *P. ſpec. S. I. c. 33. ∫. 4.*

6. *Quæ ſunt potiſſima momenta in punčto juris, quo quisque nititur?*

Reſp. Elector Bavariæ pro ſe curavit allegandum *Inſtrumentum Pac. Weſtph. Art. IV.* vi cujus dignitas Electoralis, quam Electores Palatini ante hac habuerunt, *cum omnibus Regaliis, Officiis, Præcedentiis, Inſignibus & Juribus quibuscunque ad hanc dignitatem ſpectantibus, nullo prorſus excepto, manere debeat penes Lineam Guilbelminam, quamdiu maſculi ex ea ſuperſtites fuerint.* Viciſſim a parte Electoris Palatini ad Rhenum exceptum eſt, Vicariatus dignitatem non eſſe *dependens Electoralis dignitatis* translatæ, alias omnes Electores hoc jure gaviſuri eſſent, ſed *Palatinatus ad Rhenum annexum.* Hinc in *A. B. c. V.* expreſſe dici, in textu *latino*, quod ipſi hoc jus competat ratione principatus vel Comitatus, & quamvis in Germanica verſione legatur: Von des Churfürſtenthums und Pfaltzgraffſchafft Freyheit wegen; verba tamen latina, tanquam *Authentica*, majoris ponderis & in dubio præferenda eſſe, quod multis aliis rationibus, ex penetralibus Juris publici, pluribus deduxerunt illuſtres viri, *Spanbeimius*, *Freinsbemius*, *Coccejus*, *Schilterus*, *Thulemarius*. Interim hujus controverſiæ ſeries & *Acta publica* eo pertinentia collecta reperiuntur in *Theatro Europæo Tom. 8.* Lundorp. *tom. 2. & 8.*

7. *Quis exitus hujus Controverſiæ fuit?*

Reſp. Hactenus *indeciſa* manſit. Interim non-

nonnulla momenta *politica* circa illam tetigit Monzambano *de Stat. Imp. c. 4. §. 8.* in poſterum etiam haud dubie indeciſa manebit, dum Lineæ *Rudolphinæ* poſtliminii quaſi jure *ſuperior Palatinatus* cum *Archidapiferatu* & annexis, hoc anno ab Imperatore & Imperio reſtituta ſunt, & deſuper inveſtitura acceſſit.

8. Solio vacante, nonne Pontifici competit Vicariatus in Imperio?

Reſp. Etiam hoc jus arrogare ſibi voluit, conf. *Cap. Venerabile X. de Elect. & Elect. pot.* Limn. *J. P. L. 3. c. 12. n. 11. & in addit.* ſed fruſtra. vid. Bœcler. *Not. Imp L. 4. c. 3.*

9. Quænam eſt poteſtas Vicariorum Imperii?

Reſp. Competit ipſis *omnis* poteſtas Imperatoria, niſi qua reſtrictio doceatur. Nam cum Imperatoris vices ſuſtineant, oritur præſumtio pro generalitate poteſtatis. conf. Rhet. *J. P. L. I. tit. 5. ſ. 9.* Coccej. *P. P. P. c. 16. §. 13.*

10. Nonne exercitium Jurium Vicariatus ſpecialius poteſt recenſeri?

Reſp. Si per partes eundum eſt, habent Vicarii

(1) Jus *exercendi Judicia communia.* Sic *Judicium Imperii Aulicum* in Aula ſua quisque, habita tamen ratione diſtrictus aſſignati, inſtituit, etiam quoad cauſas Feudorum regalium. Schw. *P. ſp. S. I. c. 3. §. 7. Camera* vero *utriusque nomine* Proceſſus decernit. Schw. *c. l.*

(2) Jus ad *Beneficia Eccleſiaſtica* præſentandi. *A. B. c. V. ſ. 1.*

(3) Colligendi *Reditus & Proventus*, A. B. *ibid.* & *inveſtiendi* de *Feudis* ibid. Quæ tanquam potiora in A. Bulla recenſentur, reliqua videantur expoſita a Schwedero *l. c.* §. *8.* Thulemar. *de Octov. c. 22.* Schütz. *J. P. Vol. I. Diſp. V. th. 12.*

11. Ergo Vicariis etiam poteſtas erit inveſtiendi de Feudis Principum Zepter = und Fahnen = Lehen.

Reſp. Neg. cum illorum Inveſtitura & Collatio ſoli Imperatori vel Regi Romano ſpecialiter reſervetur. *A. B. c. 5. §. 1.* Jus vero *Cognoſcendi de Feudis majoribus* iis vindicant Itterus *de Feud. Imp. c. 25. §. 19.* Dn. Coccej. *c. 16. §. 13.* Thulemar. *de Octovir. c. 22. th. 28.*

12. Num Vicarii poſſunt res Imperii alienare?

Reſp. Etiam hoc illis all. Text. A. Bullæ prohibitum eſt, quippe quam poteſtatem nec ipſe Imperator *ſolus* habet.

13. Sed quid, ſi Imperator abſens, an tunc etiam Vicarii ejus officio funguntur?

Rep. A. Bulla *all. c. V. tantum* de caſu *Vacantiæ* per mortem Imperatoris diſponit, quod colligitur ex verbis: *ut præmittitur.* Interim ob paritatem rationis, & obſervantiam ſubſequentesque literas declaratorias Imperatorum v. c. *Maximiliani I.* & *Caroli V.* apud Goldaſt *P. I.* der Reichs = Satz. *p. 243.* & Palatino & Saxoni jus iſthoc, etiam hoc caſu, confirmatum eſt. Palatinus deſuper variis *privilegiis claris* gaudet, conf. Freher. *de Orgin. Palat. c. 16.* Hipp. a Lap.

de

de Rat.Stat. P. 1. c. 13. add. Schilter. *J. P.L. 1. Tit. 18. § 6.* Cujus tamen Diſceptationis hodie non magnus uſus videtur eſſe, cum Imperatores coronationis cauſa Romam proficiſci non ſoleant; aliam vero abſentiam ſtatus præſens vix admittat.

14. Quid vero in caſu minorennitatis Cæſaris vel Regis Romani?

Reſp. Et hoc caſu aſſerenda eſt Vicariatus poteſtas, quod præterea *in Capit. Joſeph. art. 47.* expreſſe cautum eſt.

15. Quid vero ſi Imperator morbo Chronico aut mentis imbecillitate laboret?

Reſp. Dn. Horn. *J. P. cap. 21. S. 3.* putat, & hoc caſu Vicarios jus ſuum exercere poſſe.

16. Nonne vero dantur etiam Vicarii Imperii pro Regnis Arelatenſi, Longobardico & Imperio Romano ſtricte dicto?

Reſp. Quæ de *Delphino* Vicario Arelatenſi & *Comite Palatino* ejusdem Regni vicario afferuntur, v. Conring. *de fin. Imp. c. 24.* fortaſſe nulli alii uſui inſeruiunt, quam ut vetuſti juris Imperialis indicia ſint, Bœcler. *Not. Imp. L. 4. c. 3.* In *Italia* Dux Sabaudiæ, tam *vivo*, quam *mortuo* Imperatore, ejus *Vicarius perpetuus* audit, cui cautum eſt per *Capitulationem Joſeph. Art. 4.* ſub conditione tamen, ſi *fidelem Imperii Principem* ſemet exhibiturus ſit. Hunc, vacante Regno, Ordinariis Vicariis Imperii Romano-Germanici, non minus, quam ipſi Imperatori

& Imperio ſubeſſe, contendit Dn. Uffenbach. *de Judic. Aulic. c. 25.* conf. tamen Itterus *de Feudis Imperii, c. 9.* § 15. De contradictione *Ducis Mantuani* videatur Schwed. c 1. §. 7. add. Schurtzfl. *de Diviſ. Imp. Carolini* §. 78.

LIBER III.

CAPUT I.

DE

STATIBUS IMPERII

Eorumque Diverſo Ordine

ET

Matriculis Imperii.

GENERALIA AXIOMATA.

1. In Statibus Imperii conſideranda ſunt *Tria*: (1) Jus *Territoriale* (2) inde Jus *Suffragii* in *Comitiis* & (3) *Nexus ſocialis* circa *onera* Imperii.
2. Statuum *origo exacte* ob non ſufficiens lumen hiſtoricum medii ævi vix poteſt conſtitui.
3. Statuum diſtinctio *in tria Collegia* ſatis vetuſta eſt.
4. Crucem figit Publiciſtis, cur *Civitates immediatæ* inter Status aſſumptæ, *nobiles immediati non*. Hinc plerique ſiccoo pede prætereunt hoc.
5. Per Matriculas Imperii *immedietas* & jura *Suffragii in Comitiis* exacte non probantur.
6. Statuum diviſiones in *Quaterniones* figmentum Monachorum ſapiunt.

Quæſtio I.

Qui, præter Imperatorem, participant de Imperio Civili in Germania?

Reſp.

Reſp. *Status Imperii*, qui *Superioritate Territoriali* & jure *Seſſionis ac Voti in* Comitiis gaudent. *Illa* partem Reipubl. communis propria autoritate regunt & attemperant *ſeorſim* ad ſalutem totius Reipublicæ; *Hoc* cum Imperatore *in commune* conſulunt & decernunt.

2. *Quid itaque ſunt Status Imperii?*

Reſp. Vulgo deſcribuntur a jure *Seſſionis* & *Suffragii* in Comitiis. Ad menſuram Status vero exhauriendam, citra dubium plenius deſcribuntur, quod *Status Imperii ſint, qui ſinguli in ſuis Territoriis Imperium Civile exercent, communi vero Imperio communibus opibus & conſiliis, nexu ſociali, ſuccurrunt.*

3. *A quo tempore Proceres in Germania Co-Imperantes conſtituti fuerunt?*

Reſp. Exacta Periodus, ob deficiens lumen hiſtoricum medii ævi, conſtitui haud poteſt; Interim, quantum ex hiſtoria *Carolingorum* & Succeſſorum colligi licet, ab illo tempore, quo populi Germanici *coaluerunt* ſub uno capite, ſcilicet ſub *Francicis Regibus*, & poſtea *Carolingis*, Monarchia aliquantiſper præponderavit: aſt a temporibus *Conradi I.* inter Monarchiam & plurium corporum liberorum ſyſtema ſat manifeſte fluctuavit, geniusque libertatis Germanicæ ſemper ad illam formam propendit, licet accuratum Syſtema Rerumpublicarum ſecundum regulas politicas formandi, ignorantia iſtorum ſeculorum impediverit. conf. *Diſſ. de Jure Principum Imperii circa Fœdera cum Exteris.*

§. 5. 6. Hinc poſt varias fluctuationes jurium Statuum, tandem expreſſis & claris Conventionibus publicis ſtabilita eſt Superioritas Territorialis Statuum.

4. Status Imperii quotuplicis Ordinis ſunt?

Reſp. Potiſſima diſtinctio, quæ & in Comitiis conſpicitur, eſt in *tria Collegia:* nimirum Collegium (I) *Electorale* (II) *Principum* & (III) liberarum *Civitatum.*

5. Collegium Electorale quot Perſonis conſtat?

Reſp. Ex recenſione A. Bullæ *Septem Electores* ſunt. His poſtea vi Inſtrumenti Pacis Weſtphalicæ, *Comes Palatinus ad Rhenum* tanquam *novus* & *octavus* Elector acceſſit, & ante paucos annos *Nonus Elector* ex Ducali Domo *Brunſvico-Hannoverana*, hac dignitate *inveſtitus* eſt 19. Novembr. 1692. Viennæ ab Imperatore Leopoldo. *Introductio* vero in *Collegium Electorale* poſt 19 annorum mora a Principibus obſtacula nunc facta, ad quod arduum negotium feliciter conficiendum citra dubium multum contulerunt merita hodierni Electoris erga Imperium. Ceterum cum a. 1708. Electoratus Bavaricus cum prærogativis & annexis in Electorem Palatinum ſit translatus. ad *Octoviratum* in hoc Collegio Electorali res iterum rediit; reſtituto autem El. Bauaro per pacem Badenſem art. 15. ad *Novemviratum* denuo.

6. Num ſucceſſu temporis pluribus Principibus ſpes ad dignitatem Electoralem ſupereſt?

Reſp. Hoc colligi poteſt ex *Decreto Cæſar. Commiſſ.*

Commiſſ. d. 21. Jul. 1706. & in illo facta promiſſione Von Errichtung neuer und mehrer Churen. Sic etiam Catholici Status in caſum *conjunctiva*, ſcil. ſi *Wilhelmina* linea extincta, in *Rudolphina* forte ad Evangelicam Domum hæc dignitas perventura eſſet, *ſubſtitutionem novi Catholici* Electoris; Evangelici Status viciſſim, ſubſtitutionem Evangelici Principis in caſum Evangelicæ Domus Electoralis exſtinctæ urgent, de quo *alleg. Acta Comitial.* pluribus videri poſſunt.

7. *Collegium Principum quos Status complectitur?*

Reſp. Partim *Eccleſiaſticos*, partim *Seculares*, qui in duo *Scamna* diſpeſcuntur. In Scamno Eccleſiaſtico primum locum occupant *Archi-Duces Auſtriæ*. Rationes vide ap. Monzamb. *c. 2. §. 3.* confer tamen Kulpiſium & Obrechtum ad h. l. Deinde *Archiepiſcopi*, inter quos primus *Salisburgenſis*, qui Sedis Romanæ *Legatus Natus* audit; *Veſontinus*, cujus metropolis *Veſontium* ſive Biſantz una cum *Comitatu Burgundiæ* (Franche Comte) ſub ditione Gallica eſt, Dn. Imhoff. *Notit. Proc. Imp. L. 3. c. 33. §. 9.* Addunt nonnulli Archi-Epiſcopum *Pragenſem:* verum huic nil commercii cum jure Publico Germanico eſt. Imhoff. *c. l. §. 3.* & Archi-Epiſcopatus *Rigenſis* dudum, cum ipſa *Livonia*, Imperio exemptus eſt. Reliqui Archi-Epiſcopatus *Magdeburgicus* & *Bremenſis*, utpote *Seculariſati*, ad Scamnum Eccleſiaſticum non amplius pertinent.

Sequun-

Sequuntur deinde *Epiſcopi*, Archi-Epiſcoporum *Suffraganei*, excepto *Bambergenſi*, qui *nullum Metropolitanum* agnoſcit & *Pallium* etiam, inſtar Archi-Epiſcoporum a Pontifice redimit. Specialiter enumerant Epiſcopos Schwed. *P. Spec. S. 2. c. 6.* Iren. *ad Burg. P. 1. Diſc. 20. ad J. P. Tridentino* & *Brixienſi* Epiſcopis jus ſuffragii in Comitiis dubium reddit Domus Auſtriaca. Limn. *Tom. I. add. ad L. 5. c. 2. n. 40.* Obſervandum etiam eſt (1) quod inter Epiſcopos *Magiſter Ordinis Teutonici*, der Teutſch-Meiſter, in Comitiis primum locum obtineat, alternando tamen cum *Bambergenſi*. Conring. *in Not. ad Lamp. P. 3. c. 6. §. 4.* & (2) quod *transverſum Scamnum* in Comitiis ſit, vulgo die Quer-Banck, in quo *Proteſtantes Epiſcopi, Oſnabrugenſis*, ſi ex Domo Hanoverana, quod *alternatim* fit, eligatur, & *Lubecenſis*, ſedent. Epiſcopos vero excipiunt *Abbates* principali dignitate fulgentes, Gefürſtete Aebte, uti vocantur. Recenſentur illi in *J. P. Prud. Diſſ. VII. §. 21.* quibus addendi *Duo Præpoſiti* pari dignitate, *Elwangenſis* & *Berchtolgadenſ.* Imhoff. *l. c. §. 3.* ut & *Abbatiſſæ Principes v. all. Diſſ. VII. §. 23.* In infima parte Scamni Eccleſiaſtici ſedent *Prælati Non-Principes*, qui *duobus curiatis Votis* gaudent, & in *Receſſibus* ſemet *ante Comites* ſubſcribunt. Dividuntur in *duo Directoria*, Svevicum & Rhenanum, qui illi ſint, *vid. alleg. loc.*

8. Quinam ſunt Status Seculares Collegii Principum?

Reſp.

Reſp. Præter Archi - Duces Auſtriæ jam recenſitos, in *Scamno Seculari* ſedent Duces *Magdeburgicus*, *Bremenſis*, *Saxonici Brunſvicenſes*, *Wurtenbergici*, *Megapolitani*, *Holſatiæ*, *Marggravii*, *Landgravii*, *Comites Palatini* ad Rhenum; *Principes Imperii* in ſpecie ſic dicti tam *vetuſtæ* proſapiæ, quam *novioris*, in ſtatum principum evectæ, ſpecialius recenſiti ſunt alleg. *l. D. ſſ. VIII.* Quem quisque locum occupet, aut quæ lis ipſi deſuper moveatur, uno obtutu perſpici poteſt ex *Schemate Seſſionis in Comitiis*, quod reperitur accurate ſatis delineatum in der Grundfeſte *in Append. poſt Actum Proceſſionis & Propoſit.* Poſt principes ſequuntur *comites* & *Barones* Imperii, qui dividuntur in IV *Scamna* ſive *Collegia* (1) *Svevicum*, ad quod VII. (2) *Franconicum* VIII. (3) *Weſtphalicum* IX. (4) *Wetteravicum* VI. Comites juxta Imhoff. c. l. pertinent, & gaudent *IV. Votis Curiatis*.

9. Quodnam eſt tertium Collegium Statuum?

Reſp. *Civitatum Imperialium*, quarum nonnullæ *liberæ Imperiales Civitates* audire malunt, differentia hodie ſaltem nullius momenti, conf. tamen Dn. Coccej *J. P. c. 17. §. 7.* Numerus illarum ut hic inferatur, vix opus eſt, cum paſſim apud publiciſtas obvius ſit; & unicus Bœclerus *Not. Imp. L. 11. c. 5.* abunde ſatisfacit. Juxta *duo Scamna* ſcilicet *Rhenanum* & *Svevicum* dividuntur in der Grundf. *P. 2. c. 6.* Nonnullæ earum ſatis potentes ſunt; aliæ mediocres; pleræ-

pleræque tamen libertatem magis quam vires jactare poſſunt. add. Monz. *c. 2. §. 13.*

10. Num Collegium Civitatum gaudet etiam Voto deciſivo in Comitiis?

Reſp. Expreſſe hoc iis aſſertum eſt *in Inſt. P. Art. gaudeant. 8. §. tam in univerſalibus.* Quia autem a duobus Superioribus Collegiis non admittitur ad *Re-* & *Correlationem*, conqueſtæ ſunt Civitates Imperii, votum deciſiuum iis inutile fieri. Controverſiam hanc fuſe expoſuit *A.* der Grundſ. *P. 2. c. 6.*

11. Nobiles immediati num etiam ad Comitia vocantur?

Reſp. Neg. cujus rei rationem, quod ipſi excluſi & Civitates admiſſæ reperiantur, Dn. Coccej. *J. P. c. 19. §. 14.* ſuppeditat, contra quam tamen dubia movet Dn. Thomaſ. *Diſſ. de Poteſt. Statuum Imp. Legislat. § 8 - 10.* & tandem ſuas conjecturas ulteriorem meditationem poſtulantes ſubſtituit.

12. Jus Status & immedietas nonne ex Matriculis probari poteſt?

Reſp. Matriculæ *præſupponunt* quidem, aliquem eſſe *Statum Imperii*, vel ſaltem *immediatum*, ſed non definiunt. Nec ulla Matricularum adeo correcta eſt, quin non contra illam infinitæ querelæ in Comitiis auditæ ſint; quæ cum *ex fundamento non ſublatæ fuerint*, vix credibile eſt, quod Status Matriculam, ad numerum eorum & jus definiendum, conficere voluerint,

luerint, ſed tantummodo tanquam *Indicem contribuentium*, ob periculum in mora, *Interimiſtice* confectum.

13. Quot ſunt matriculæ Imperii?

Reſp. Variæ, quarum nonnullas adducit Limnæus *J. P. L. 1. c. 7. 8. & in add. ad h. l. &* Wehner. *Obſ. pract. v. matricul.* Inter quas *Matricula Vormatienſis d. 1521.* præ aliis accurata habetur. conf. Maurit. Diſſ. *de Matricul. §. 39. Lehm. Chron. Spir. L. 7. c. 112.*

14. Juxta quam hodie onera Imperii feruntur?

Reſp. Allegata Vormatienſis *in R. J. de 1576. §. 99.* vocatur quidem gerechte und gewiſſeſte Matricul, tamen poſtea in nonnullis correcta in ſubſequentibus Comitiis 1545. 51. 57. 67. 71. 77. Poſtea 1650. Repartitio *Suecicæ Satisfactionis* haud pauca immutavit, donec proviſionaliter reviſa, correcta & moderata eſt 1668. quæ propterea die *Revidirte* Reichs=*Matricul* vocatur & *Appendicem conſtituit* der Grundfeſte des H. R. Reichs. *Edit. noviſſ. de an. 1706.*

15. Quid ſtatuendum de Statuum diviſione in Quaterniones?

Reſp. Prolixum Catalogum Quaternionum exhibet Goldaſtus *tom. 1. Conſt. p. 34. &* Panvinius *de Comit. Imp.* Verum e genuinis Tabulis publicis hæ diviſiones non poſſunt legitimari, ſed ſunt inventum privatum, haud dubie *Monachale*. Fritſchii dubiis in *pec. tr. de Quatuorvir.* ſatisfactum eſt in *J. P. Prud. Diſſ. XI. §. 13.*

CAPUT

CAPUT II.
DE
JURIBUS COLLEGII ELECTORALIS SINGULARIBUS.

AXIOMATA GENERALIA.

1. Quamvis periodus Collegii Electoralis inſtituti quoad *annum* & *diem* non poſſit definiri; tamen *dudum* ante A. Bullam penes Septemviros fuiſſe *Electionis potiſſimas partes*, certum eſt.
2. Eximia ſunt jura, quæ Imperator cum Electoribus, excluſis reliquis, exercet, ac propterea Negotia *Cæſareo-Electoralia* vocari poſſunt.
3. Autoritas Collegii Electoralis in Comitiis tanti eſt, quanti reliquorum omnium Statuum.
4. In arduis Imperii negotiis Fruuntur *præconſultatione* cum Cæſare.

Quæſtio I.
Quænam ſunt jura Collegii Electoralis præ reliquis Statibus?

Reſp. Sunt eximia quædam jura, quæ vel Collegium *ſolum* exercet, vel *una cum Cæſare*, excluſis reliquis Statibus, quæ propterea negotia Imperii publica *Cæſareo-Electoralia* vocari poſſunt.

2. *Quænam ſunt illa jura, quæ Collegium hoc ſolum exercet?*

Reſp. Huc pertinet *Negotium Electionis Cæſareæ*, cui in A. Bulla forma & modus præſcribitur, & in hac proprie fundamentum prærogativarum Electoralium jactum eſt, ceu annotavit jam Bœclerus *Not. Imp. L. 6. c.* 7.

3. *Quan-*

3. Quando excluſis reliquis Statibus jus eligendi nactum eſt Collegium Electorale?

Reſp. Qui Conſtitutioni Ottonis III. originem adſcribunt, oppido falluntur. vid. Conring. *Diſſ. de Septemvir.* A veris autem originibus repetit Dn. Coccejus *J. P. Prud. cap. 10.* quod ab initio Imperii Germanici *Archi-Officia IV.* Pincernatus, Dapiferatus, Mareſchallatus, Camerariatus ſemper penes *quinque* Duces Imperii ſcil. Rhenenſem ſ. Comitem Palatinum, Franconicum, Bavarum, Svevum & Saxonem, *uno* ex iis Rege electo, fuerit, & poſtea *Ducatibus* iſtis vel *conjunctis* vel *alteratis*, Rex *Bohemiæ* & *Marchio Brandenburgicus* locum ſuppleverint. His *præconſultatio* in Electione & hinc major prærogativa, donec ad eos ſolos pervenit. Eccleſiaſticis tribus Archi-Epiſcopis illa prærogativa aſſignata fuit, quod munere *Archi-Cancellariatus* fungerentur.

4. Quæ vero Cauſa, quod eadem Officia, quæ Imperii, ab Electoribus Epiſcopo Bambergenſi exhibenda ſint?

Reſp. Quantum de obſura re conſtat, ex nimia illorum temporum devotione *Henricus II.* ſive *Sanctus* inſtituit, ut talia officia etiam *Bambergenſi Epiſcopo* exhiberentur, ubi doctiſſimus Conringius *ad Lamp. P. 3. c. 4. §. 23* fatetur, ſemet neſcire, quare *Archi-Officia Imperialia & Officia Bambergenſia* in iisdem ſubjectis concurrant. Quæ vero *Feuda* a Bambergenſi reco-

gnoſcantur ab Electoribus, æque perplexum eſt. conf. Dn. Thomaſ. *de Feud. Oblat. c. 1. §. 21.* Ceterum *Sub-Officiales* in Aula Bambergenſi & nonnulla huc pertinentia erudite ſatis perſequitur B. Wagenſeil. *de S. R. Imp. Summis Official. & Sub-Official. c. 18. cap. 18.* De *Cunigundæ* Conjugis Henrici II. *ſericeo rubro filamento*, Kunigundens rothen ſeidenen Faden, vid. Limn. *J. P. L. 3. c. 7. n. ult.* & *ad A. B. c. 27. obſ. 7.* add. Lehm. *Chron. Spir. L. 5. c. 16.* Unde conjecturæ oriuntur, occulto Cunigundæ Imperatricis favore hæcce jura, quæ Eyben de *Tit. Nobil.* §. 42. haud præter rem, *plane mirifica* vocat, Bambergenſi Præſuli conceſſa eſſe, licet B. Schurtzfleiſchius *pec. Diſſ. de Innocentia Kunigundæ* contrarium evincere ſatagat.

5. *Nonne hoc ad prærogativas Electorum pertinet, quod ſoli ſeparatum Collegium conſtituant?*

Reſp. Ita: Videatur *Capit. Joſeph. art. 35.* Et origo hujus rei vetuſtior videtur, quam ut ad tempora Friderici III. & Maximiliani referri debeat cum A. der Grundfeſte. *P. 2. 3.* Huic Collegio etiam innexa eſt *unio fundamentalis*, quam die Churfürſtliche Verein. vocant. vid. *Capit. Joſ. art. 6.* add. Goldaſt. *Polit.* Reichs-Händel. *p. 8.* Limn. *tom. 5. add. ad L. 3. c. 2.* Cum qua haud confundenda eſt die Reiniſche Verein. inter Electores Eccleſiaſticos & Palatinum, particularis 1519. Veſaliæ inita. *Utraque* confirmatur *in Capit. Leop. & Joſeph. art. 6.*

Bohemi-

Bohemiæ Regem vero illa vnione non comprehendi, aſſerunt Pfeffing. *Vitriar. illuſtr. L. 3. tit.* 7. §. *30.* Crüger de Novemviratu *P. Gen. Diſc.* 2. §. *10.* Verum, dum nunc de recipiendo Bohemiæ Rege in Collegium Electorale *quoad omnes ejus functiones* res prope in Comitiis confecta creditur, *) eo ipſo ſimul in Ipſum commoda & onera iſtius unionis in poſterum devolventur. *vid. q. 11. n. IV.*

*) Confecta hæc res eſt d. 7. Sep. 1708. ita ut hodie Rex Boh. pari cum reliquis Electoribus iure gaudeat. vid. *de Ludewig. diſſ. de Jure ſuffragii Reg. Boh.*

6. Magnæne autoritatis eſt hoc Collegium in Comitiis?

Reſp. Octo vel Novem Suffragia hujus Collegii tantidem eſſe putantur, quanti valent reliqua in rebus Comitialibus. add. Cæſarin. Furſtener. *de Supremat. C. 40.* Rhetz. *J. P. L. 1. tit. 6. n. 5.*

7. *Quæ eorum poteſtas circa præſentationem Aſſeſſorum Cameræ?*

Reſp. Singuli *Duo*, cum alias integri *Circuli totidem* conſtituere jus habeant. *Inſtr. P. art. 5. n. 57.* *Nec hodie Rex Bohemiæ amplius ab hoc jure excluditur.* Crüger. *all. Tr. Part. ſpec. M. 2. Diſc. 15. ʃ. 4.*

8. Circa Capitulationem conficiendam quodnam Eorum jus?

Reſp. Hactenus in *poſſeſſione* ſunt, ut ſoli eas conficiant. Hiſtoriam controverſiæ *vide ſupra L. 1. c. 3. qu. 5. ſequ.*

F 2 *9. Num*

9. Num Electores aliis, quam Regibus cedunt loco?

Reſp. Neg. Sed *Regibus pares* æſtimantur, & liberis Rebuspublicis, Archi-Ducibus, Cardinalibus, Magnis Ducibus ſemet præferunt.

10. Quænam ſunt negotia Cæſareo-Electoralia?

Reſp. In *duas Claſſes* diſtingui poſſunt. Ad *primam*, ubi conſenſus Electorum *viritim* & per *unanimia* requiritur, pertinet:

(1) Jus *nova Vectigalia in Imperio* concedendi, & *vetera augendi. Capit. Leop. art. 21. & Joſeph. art. 20.* add. *Inſtr. Pac. Weſtph. art. 9.*

(2) Jus *Stapulæ*, *Geranii*, Emporii concedendi in Imperio per *eosd. textus LL. publ.*

Ad *ſecundam Claſſem*, ubi ſcilicet *pluralitas Votorum* ſufficit, pertinet:

(1) Jus *declarandi aliquem*, maxime Statum Imperii, *in Bannum. Cap. Leop. art. 28.* & *Joſeph. art. 27.* Quo jure ad minimum *proviſionaliter* gaudent, donec juxta *Inſtr. Pac. art. 8. §. 3.* conſenſu Comitiali hæc res definiatur.

(2) Jus concedendi *Regale Monetæ. Cap. Joſ. art. 33.* & *legitime* amiſſum Jus monetandi *reſtituendi*, ad quod conſenſu Electorali etiam opus eſſe Imperatori, argumento *d. art. 33.* concludunt B. Dn. a Rhetz. *J. P. L. 1. tit. 6. §. 27. & L. 2. tit. 16. §. 10.* Dn. Klein. *Diſſ. de Prærogat. Princip. Imp. c. 2. n. 167.*

(3) Jus *alienandi* & *oppignorandi* res Imperii, *Cap. Joſ. art. 12.*

(4) Con-

(4) Conceſſio *Feudi aperti. Cap. Joſ. art. 29.* quod & ad *vacantes Electoratus* extendendum eſt. Crüg. *all. Tr. P. Spec. M. 2. Diſc. 10. §. 5.*
(5) Aſſumptio in *numerum Statuum. R. I. d. 1654. §. 197. Cap. Leop. & Joſ. art. 44.*
(6) *Comitiorum indictio.* vid. *Cap. Joſephi art. 16.*
(7) *Negotiorum* Imperii *arduorum* cum Cæſare *præconſultatio. Cap. Joſeph. art. 38.* ibi: In Sachen ſo das Reich betreffen von hohen *Præjuditz* und weiten Ausſehen, bald anfangs der Chur-Fürſten, als unſer innerſten Räthe, Gedancken vernehmen. Et nonnulla alia jura, quæ ex *Schedis Boineburgicis* apud Bœcler. *Not. Imp. L. 6. c. 2.* peti poſſunt.

II. Qui ſunt Electores S. Rom. Imperii?

Reſp. (I) *Primus* in hoc Collegio Electorali eſt Elector & Archi-Epiſcopus *Moguntinus*, Collegii *Decanus*, & *Archi-Cancellarius* per *Germaniam*, *A. B. c. 3. §. 7.* Cujus autoritas propterea in Imperio inſignis eſt. Videtur autem Archi-Cancellariatus officium tribus Archi-Epiſcopis conceſſum eſſe primitus tempore Ottonis M. quamvis in re vetuſta certo definiri haud Poſſit. conf. Dn. Coccej. *J. P. c. 10. §. 8.* Schwed. *Sect. 1. c. 8 §. 1.* Jura inde dependentia ſpecialiter ſunt recenſita in *J. P. Prud. Diſſ. VI. §. 7.* Hodiernus Dominus Elector eſt PHILIPPUS CAROLUS L. B. ab Eltz. nat. d. 26. Oct. 1675. electus d. 9. Jun. 1732.

(II) *Secundum* ab ipſo locum tenet Elector & Archi-Epiſcopus *Trevirenſis*, Archi-Cancellarius per Galliam & Regnum Arelatenſe, *A. B. c. 2. §. 12.* ex qua dignitate, præter nudum titulum, quid ipſi ſuperſit, non conſtat. vid. Malinkrot. *de Archi-Cancell. P. 1. m 3.* Hodiernus Dominus Elector eſt FRANCISCUS GEORGIUS Comes de Schœnborn, electus a. 1729.

(III) *Tertius* ſive ultimus inter Eccleſiaſticos eſt Elector & Archi-Epiſcopus *Colonienſis, Archi-Cancellarius per Italiam A. B. c. 1. §. 11.* Cujus Tituli & præcedentis Trevirenſis, ſi aliqua functio hodie ſupereſt, ab Archi-Cancellario Germaniæ per Vice-Cancellarium Imperii adminiſtratur. Bœcler. *Not. Imp. L. 9. c. 5.* Crüger *de Novemvir. P. Spec. M. 2. diſc. 4. n. 5.* Hodiernus Dominus Elector eſt CLEMENS AUGUSTUS, frater Sereniſſimi Electoris Bavariæ; electus a. 1733. Simulque Epiſcopus Monaſterienſis, Paderbornenſis, Hildeſienſis & Osnabrugenſis; Magnus quoque Magiſter ordinis Teutonici. &c.

(IV) Inter Seculares Electores *primus*, alias ordine *IV. Rex Bohemiæ* eſt, qui eſt *ipſe Imperator.* Eſt Imperii *Archi-Pincerna A. B. c. 4. §. 4.* cujus Sub-Officialis olim Baro de *Limburg*, hodie Comes ab Althan; reliqua videantur. *alleg. Diſſ. VI. §. 10.* ceterum Bohemum olim, antequam ad Regiam Dignitatem eveheretur,

tur, *ultimum inter officiales locum* obtinuiſſe, fide *Cranzii* adſtruit Dn. Mulzius *Repræſent. Majeſt. Cæſar. P. 3. c. 10. n. 96.* Quo memorabili exemplo, an illi, qui eadem Majeſtate Corona & Regno in hoc Collegio nunc fulgent, *proximum ab ipſo locum* ſibi vindicare poſſint, aliis ad diſcutiendum relinquitur. Notandum vero, quod Rex Bohemiæ, ad *ordinarias deliberationes & reliquos Actus Collegii Electoralis*, præter Electionem, hactenus haud admiſſus fuerit, *) occaſione vero *novi Electoratus*, Acceſſio Coronæ Bohemicæ ad Collegium Electorale ab Auſtriacis ſummopere in Comitiis præſentibus Statibus commendata eſt; nec videntur illi deſiderio huic refragari, ſi (1) Bohemia *peculiarem Circulum* Imperii conſtituere, (2) onera Electori pari (Churfürſten-Anſchlag) ferre (3) Pace profana & religioſa ſemet obſtringere, (4) Peculiaribus prærogativis in Comitiis abſtinere velit; de *quo Acta Publica Comitial. h. a.* conſuli poſſunt.

*) Hæc aliter iam ſe habere ſupra monitum eſt ad quæſt. 7. h. cap.

(V) Excipit hunc *Quintus* Elector *Bavariæ* per *J. P. art. 4. §. 3.* in hoc loco, qui antea Palatini Comitis ad Rhenum erat, confirmatus. Eſt Imperii *Archi-Dapifer* & in *ſolennibus Actibus* præfert *Pomum Imperiale.* Subofficialis eſt Baro *Waldburg.* Hodiernus Elector Dominus CAROLUS ALBERTUS natus d. 6. Aug. 1697.

 (VI) Se-

(VI) Sequitur *Sexto* loco Elector *Saxoniæ*, Imperii *Archi-Mareſchallus A. B. c. 4. §. 4.* qui in ſolennibus Proceſſionibus *Gladium Imperii evaginatum præfert Imperatori*. Ejus Sub-Officialis Comes *Papenheim*. Reliqua jura vide *all. Diſſ.* §. *12.* Hodiernus Dominus Elector Saxoniæ eſt FRIDERICUS AUGUSTUS, qui natus d. 7. Oct. 1696. in Regem Poloniæ electus 1733.

(VII) *Septimum* locum tenet Elector *Brandenburgicus*, potentia & ſplendore alias in Imperio *primus*. Nam præter Regnum *Boruſſiæ* & liberos Principatus, *Arauſionenſem*, *Neo-Comenſem* (*Neuf-Chatel*) aliasque Dynaſtias inde dependentes, Ditiones ejus ad Imperium ſpectantes *ſeptimam partem Germaniæ* conſtituere perhibentur. vid. Dn. a Zech. *Conſil. Saxon. Europæiſcher* Herold *p. 134.* & ultra *ducenta milliaria* in longitudinem fere excurrunt, Monzamb. *c. 2. §. 7. inf.* Eſt Imperii *Archi-Camerarius A. B. c. 27. §. 3.* & in Imperialibus Proceſſionibus *Sceptrum* gerit. Sub-Officialis ejus eſt Princeps de *Hohenzolleren*. Hodiernus Dominus Elector eſt FRIDERICUS WILHELMUS, Bello & Pace inclytus Heros, natus d. 15. Aug. 1688.

(VIII) *Octavo* loco hactenus ordo tetigit Electorem *Comitem Palatinum ad Rhenum*, olim inter

inter Seculares *primum*, poſtea *penultimum*. Imperii *Architheſaurarius* eſt, cujus Sub-Officialis Comes de *Sintzendorff*. Hodiernus Dominus Elector eſt CAROLUS PHILIPPUS, nat. d. 4. Nov. 1661. neceſſitudine ſanguinis Potentiſſimis Europæ Principibus innexus.

(IX) *Ultimus* & Noviſſimus Electorum Dux *Hannoveranus* eſt. Ex *Guelphica Domo*, vetuſtorum Seculorum Annalibus celebrata, primus 1692. *Erneſtus Auguſtus* hac dignitate inveſtitus eſt. Hodiernus Dominus Elector eſt GEORGIUS AUGUSTUS, Potentiſſ. Magnæ Britanniæ Rex, nat. d. 10. Nov. 1683. Quoniam vero reliqui Electores quodam *Archi-Officio* hohe Ertz- und Erb-Aempter, conſpicui ſunt, *Archi-Vexilleratum* des H. Römiſchen Reichs Ertz-Pannier-Ampt huic Domui conferre Imperatoria fuit intentio. Verum interpoſita *Proteſtatione* & contradictione *Ducalis Domus Würtenbergicæ*, vid. *Deductio Juris Würtenbergici 1693. edita*, Inveſtitura ſuper ſolo Electoratu Viennæ 1692. citra *collationem Archi-Officii* facta eſt. Inde apparet etiam ratio, cur *clypeus* in meditullio *Inſignium Electoralium* vacuus deprehendatur. In caſu tamen, ſi extincta *Linea Wilhelmina*, Electoratus Bavaricus ad *Palatinum* perventurus ſit, *Architheſaurariatus* officium huic

(VI) Sequitur *Sexto* loco Elector *Saxoniæ*, Imperii *Archi-Mareſchallus A. B. c. 4. §. 4.* qui in ſolennibus Proceſſionibus *Gladium Imperii evaginatum præfert Imperatori.* Ejus Sub-Officialis Comes *Papenheim*. Reliqua jura vide *all. Diſſ. §. 12.* Hodiernus Dominus Elector Saxoniæ eſt FRIDERICUS AUGUSTUS, qui natus d. 7. Oct. 1696. in Regem Poloniæ electus 1733.

(VII) *Septimum* locum tenet Elector *Brandenburgicus*, potentia & ſplendore alias in Imperio *primus*. Nam præter Regnum *Boruſſiæ* & liberos Principatus, *Arauſionenſem*, *Neo-Comenſem* (*Neuf-Chatel*) aliasque Dynaſtias inde dependentes, Ditiones ejus ad Imperium ſpectantes *ſeptimam partem Germaniæ* conſtituere perhibentur. vid. Dn. a Zech. *Conſil. Saxon. Europæiſcher* Herold *p. 134.* & ultra *ducenta milliaria* in longitudinem fere excurrunt, Monzamb. *c. 2. §. 7. inf.* Eſt Imperii *Archi-Camerarius A. B. c. 27. §. 3.* & in Imperialibus Proceſſionibus *Sceptrum* gerit. Sub-Officialis ejus eſt Princeps de *Hohenzolleren*. Hodiernus Dominus Elector eſt FRIDERICUS WILHELMUS, Bello & Pace inclytus Heros, natus d. 15. Aug. 1688.

(VIII) *Octavo* loco hactenus ordo tetigit Electorem *Comitem Palatinum ad Rhenum*, olim inter

inter Seculares *primum*, poſtea *penultimum*. Imperii *Archithesaurarius* eſt, cujus Sub-Officialis Comes de *Sintzendorff*. Hodiernus Dominus Elector eſt CAROLUS PHILIPPUS, nat. d. 4. Nov. 1661. neceſſitudine ſanguinis Potentiſſimis Europæ Principibus innexus.

(IX) *Ultimus* & Noviſſimus Electorum Dux *Hannoveranus* eſt. Ex *Gvelphica Domo*, vetuſtorum Seculorum Annalibus celebrata, primus 1692. *Erneſtus Auguſtus* hac dignitate inveſtitus eſt. Hodiernus Dominus Elector eſt GEORGIUS AUGUSTUS, Potentiſſ. Magnæ Britanniæ Rex, nat. d. 10. Nov. 1683. Quoniam vero reliqui Electores quodam *Archi-Officio* hohe Ertz- und Erb-Aempter, conſpicui ſunt, *Archi-Vexilleratum* des H. Römiſchen Reichs Ertz-Pannier-Ampt huic Domui conferre Imperatoria fuit intentio. Verum interpoſita *Proteſtatione* & contradictione *Ducalis Domus Würtenbergicæ*, vid. *Deductio Juris Würtenbergici 1693. edita*, Inveſtitura ſuper ſolo Electoratu Viennæ 1692. citra *collationem Archi-Officii* facta eſt. Inde apparet etiam ratio, cur *clypeus* in meditullio *Inſignium Electoralium* vacuus deprehendatur. In caſu tamen, ſi extincta *Linea Wilhelmina*, Electoratus Bavaricus ad *Palatinum* perventurus ſit, *Archithesaurariatus* officium huic

Domui promiſſum eſt. *) Conf. *Receſſus int. Imperat. & Domum Brunſv. d. 1692. art. 4.* add. Crüger *de Novemvir. P. Spec. Membr. 2. D. 4. §. 23.*

*) Quæ omnia fere aliter ſe habent hodie; uti brevibus docetur in *Hornii Juris Publ. Prud. cap.* 36. §. 4.

CAPUT III.

DE SUPERIORITATE STATUUM TERRITORIALI, ECCLESIASTICA ET CIVILI.

AXIOMATA GENERALIA.

1. Superioritas Statuum territorialis *vocabulo*, vix autem *reipſa*, a *Majeſtate* differt.
2. *Illa* independenter ab Imperatore exercetur quoad iura *Eccleſiaſtica* & *Profana* in Territoriis.
3. *Illa* non eſt *recens fœtus* ſuperiorum Seculorum; ſed fundamenta ejus Reip. *initiis* coæva ſunt.
4. Quæ adhuc circa liberum exercitium Superioritatis T. Statibus controverſa reddebantur, *Pace Weſtphalica* & *ultimis Capitulationibus*, extra diſputationem collocata in tuto ſunt.
5. Superioritas T. etiam vires ſuas exerit *extra Territorium* in jure *Belli*, *Fœderum*, *Legationum*, *Guarantiæ* &c. Sed hoc apud *Potentiores* duntaxat Status, qui proterea *Suprematu* frui dicuntur.

Quæſtio I.

Quid eſt Superioritas Territorialis?

Reſp.

Reſp. *Summa poteſtas omnia, quæ ad Regimen civile pertinent, h.e. Actus belli & pacis in & extra Imperium, complectens; Niſi qua reſtrictio Pactis Imperii publicis fundamentalibus doceri poſſit.*

2. *Nonne revera Superioritas T. eſt ipſa Majeſtas?*

Reſp. Non deſunt, qui *Superioritatem Territorialem* a *Majeſtate* ſolo duntaxat nomine differre, contendunt, ob ſublime, liberum & independens Exercitium *omnium Majeſtaticorum jurium* in Territoriis Statuum, nemini niſi Deo & Enſi obnoxium. Illuſtrationis cauſa accedit, quod nonnulli Principes Majeſtatem & *Sigilla Majeſtatica*, haud obſcure ſibi adſcripſerint. vid. Schilt. *de Jur. Obſid. C. 2. §. 6.* Thulemar. *de Octovir. c. 19. §. 32.* Pfeffing. *ad Vitriar. L. 1. tit. 4. §. 9. a.* & ſubinde in Actis publicis ſtylus: *Souveraine* Reichs-Fürſten, non adeo inſolitus ſit. vid. *Literæ El. Brand. d. 8. Nov. 1662. in Diar. Europ. P. 9. p. 536.* Interim ſtylo Juris Publici *recepto* hactenus, modeſta Superioritatis & Territorialis expreſſio magis arriſit, haud dubie *in memoriam priſtini ſtatus*, & quod nonnullorum Statuum *inæquales vires* hoc poſtulare & *ſplendorem Majeſtatis deprecari* videantur.

3. *Publiciſtæ num in eo conſentiunt, quod Superioritatis T. per ſummam & independentem poteſtatem definienda ſit?*

Reſp. Plerique *dependens* hoc jus dicunt, largiendo tamen, quod e *viſceribus Majeſtatis* quædam

quædam progreſſa virtus ſe ei velut inſinuet, vigoremque Majeſtatis cognatum velut conciliet, quæ in hoc puncto philoſophia Kulpiſiana eſt *in Diſſ. de Unitat. Reip. Germ. c. 2. §. 13.* Verum dependens eſſe, & tamen e viſceribus Majeſtatis proficiſci, viſcera contradictionum politicarum aperit.

4. Superioritatem Territ. quando Status adepti ſunt?

Reſp. In illo ſplendore, quo hodie conſpicitur, Statibus expreſſis Conventionibus aſſerta eſt in *Inſtrumento Pac. Weſtphal. Art. Gaudeant. VIII.* & noviſſimis *Capitulationibus*. Verum *fundamenta* ejusdem *coæva* ſunt Reipublicæ Germanicæ. vid. *ſupra L. 1. c. 3. qu. 7.*

5. Ergo errabunt, qui illam pro fœtu Seculi Maximiliani I. venditant?

Reſp. Sunt, qui ita exiſtimant apud *Limnæum* vid. Dn. Hertius *Diſſ de Superior. T. ſ. 5.* Interim periodus incrementi Superioritatis T. circa tempora *deficientis Stirpis Carolingicæ*, haud citra probabilitatem conſtitui poteſt, quippe ubi Ordines Imperii *ſui juris* facti, elegerunt quidem Conradum I. & Ditiones ſuas *tanquam Feuda* obtulerunt, ac recognoverunt, *proprio jure* tamen regendas & poſſidendas, Conf. Dn. Thomaſ. *Diſſ. de Feud. Oblat. c. 1. ſ. 27.* Quod quamvis diſertis verbis Annales non teſtentur, ſufficit tamen, quod exercitii *pleroruḿque ſummorum jurium* a Statibus in actum in

ſuis

ſuis Territoriis libere & Imperatore jure impedire non valente, deductorum mentionem faciant; ut inde concludi poſſit, quod illa, quæ contra Ducem Saxonicum Henricum Conradus ſuſcepit, de *facto*, *non de jure* contigerint, ac adeo fruſtra diſſentientes hoc exemplo nitantur.

6. Num Superioritas T. ſolummodo vires ſuas in Territorio exerit?

Reſp. Non tantum *circa Territorium* verſatur, ſed etiam *Exteros* reſpicit. Priori conſideratione Superioritas T. *immanens*; poſteriori Superioritas T. *Tranſiens*, diſtinctionis ergo vocari poterit.

7. *Quæ jura complectitur Superioritas Territor. immanens?*

Reſp. *Eccleſiaſtica* & *Secularia*, quibus ſcilicet ad regendum Territorium opus eſt. *add. heic ill. A. Medit. ad Inſtrum. Pac. ubi eleg. mantiſſa 1. ad Spec. 4. de Superioritate Territoriali agit.*

8. Num Status Pontificii juribus Eccleſiaſticis utuntur?

Reſp. Pontificii *Jure Sacrorum*, impediti principiis ſuæ religionis, non audent uti, ſed *Proteſtantes* jugo hoc excuſſo, jus circa Sacra merito ſibi vindicarunt, quod & pleniſſime iis aſſertum eſt in *Inſtr. P. Art. 5. §. Tranſactio. 5. & §. Jus Diœceſanum 48.* dum jus Diœceſanum & tota Jurisdictio Eccleſiaſtica cum omnibus ſuis ſpeciebus, contra Auguſtanæ Con-

feſſio

feſſionis Status, usque ad compoſitionem Chriſtianam diſſidii Religionis ſuſpenſa & *intra terminos Territorii cujusque Status Jus Diœceſanum & Jurisdictio Eccleſiaſtica ſe continere juſſa eſt;* quod *idem* art. VII. ad *Reformatos* extenſum eſt. dict. Articulos illuſtrat. *Dn. Autor. meditat. ad Inſtr. Pac. ſpecimine tertio.*

9. Qua itaque in re conſiſtit Jus Statuum circa ſacra?

Reſp. Non in *Imperio ipſo in Conſcientias*, quippe quod jure divino nulli Majeſtati competit, quam abſoluta etiam ſit, & pertinet ad *Reſervata Divinæ Majeſtatis;* Sed in poteſtate (1) circa *Ordinem externum* Cultus Divini dirigendum, & cum hoc conjunctum *jus diſponendi* circa *Adiaphora.* (2) circa *Perſonas* cultui externo deſtinatas. (3) *Res* & *Bona* ad cultum neceſſaria, add. Conring. *de Jur. Maj. circa Sacra.* §. *10.*

10. Num Principum jus circa Sacra recte Epiſcopale vocatur?

Reſp. Ita communiter invaluit, verum *minus apte*, quia jus Majeſtaticum circa ſacra *plura* complectitur, quam tres illas Partes *juris Epiſcopalis;* Ordinem, Legem Diœceſanam & Jurisdictionem; quæ inſuper Epiſcopis *dependenter* a Pontifice competunt, nec convenit Principibus, jus circa ſacra ipſis jure proprio competens, a malæ fidei poſſeſſoribus denominare.

11. Num

11. *Num itaque Status diverſæ religionis ſubditos inviti tolerare obſtricti ſunt?*

Reſp. Qui Anno MDCXXIV. *aliqui anni parte* exercitium Religionis habuerunt; illos Dominus Territorii tolerale debet, & quiete frui *omnibus juribus poſſeſſis:* Qui vero eo tempore in poſſeſſione exercitii iſtius juris non fuerunt, illos vel tolerare poteſt, vel jubere, ut *ſine damno* emigerent. *Inſtr. P. art. V. §. 30.*

12. *Quid vero ſi unus vel alter Statuum ab hac conventione reſilire velit?*

Reſp. Tunc, ſi amica interpellatio Principum intercedentium nullius efficaciæ, ad *jus Repreſſaliarum* concurri ſolet. Sic ob *querelas Reformatorum* in Palatinatu, S. Reg. Majeſtas Boruſſica *Romano-Catholicis* in ſuis Provinciis liberum Exercitium olim ſuſpendere decreverat, qui fortiſſimus modus videtur, alterum eo adigere, ut *Suum Cuique* conſtet.

13. *Quæ jura Statuum Evangelicorum ſunt in Capitula & Catholicos ſuæ jurisdictionis?*

Reſp. Poſſunt omnia illa Status in *Capitulis Mediatis* etiam *Catholicis* ſuæ ditionis facere, quæ olim *Pontifex* vi *Concordatorum Germaniæ* & *Cæſar* in iis *fecere;* ſed *eadem* 1624. 1. Jan. non amplius exercuerunt. Plenius hoc deduxit & exemplis illuſtravit Dn. Stryk. *Tr. de Jure Papali Principum Evangelicorum.*

14. *Nonne breviter ſpecialius hoc poteſt deduci?*

Reſp. Status poſſunt (1) conferre benefi-

cia

cia in menſibus *Papalibus* (vocatur etiam: in *Turno Principis*) *Januario*, *Martio*, *Majo*, *Julio*, *Septembre*, *Novembre* vacantia, etiam in *Capitulis Pontificiis*. v. *Inſt. P. Art. V.* §. 26. In *Menſibus* autem *Capitularibus* ſive *Turno Capituli* h. e. quibus collatio eſt penes Capitulum, ſcilicet in VI. Menſibus reliquis jus ***Proviſionum extraordinarium*** habent, ſi in *Aula Principis*, aut ab ea intra *duas Diætas* moriatur, vel ob ***irregularitatem*** Beneficio excidat. vid. *alleg. Tr. C.* 3. §. 1. (2) Habent jus exigendi *Annatas* ſive primi anni reditus. *cap. IV.* §. 7. (3) Poſſunt diſpenſare circa *Matrimonium Canonicorum*. (4) Tributum ab iis exigere. *Quæ omnia capita in laudato Tractatu eleg. pluribus exponuntur.*

15. *Quid in ſe complectitur Superioritas T. Secularis?*

Reſp. Ex hac fluit Jus:

(1) Subditos *vinculo homagiali* obſtringendi.

(2) In *numerum ſubditorum* adſcribendi quosvis extraneos, etiam *infideles* & *Judæos*. Quod olim in *A. B. c. 9. §. 2* ſolis Electoribus erat conceſſum. Sed hodie hoc jus commune omnibus Statibus eſt. Rhet. *J. P. L.* 2. *T.* 17. Rumel. *ad A. B. P.* 1. *D.* 8.

(3) Subditis idoneis legibus proſpiciendi, & ſic *poteſtatem Legiſlatoriam* exercendi, qua adeo libera gaudent, ut & leges condere poſſint *Juri communi contrarias*. Conf. Dn. Thomaſ. *Diſſ. de Stat. Poteſt. Legiſlator. contra jus Commun.*

(4) Va-

(4) Valorem harum Legum, Edictorum, Reſcriptorum, quoad certas perſonas iterum reſtringere, quod vocatur *jus concedendi Privilegia.*

(5) Poteſtas *judiciaria* circa Subditorum *controverſias* & *delicta*, in Tribunalibus & Dicaſteriis dijudicanda.

(6) Conſtitutio *Magiſtratuum* & *Officialium Belli* & *Pacis.*

(7) Jus *Monetæ* omnis generis, aureæ, argenteæ, cupreæ, cudendæ, tamen juxta *pedem* certum in Imperio receptum, qui an accurate ſervetur, alii dijudicent. conf. Schwed. *S. 1. c.* 25. §. 7.

Et (8) in genere Directio *rerum politicarum*, Policey Sachen, quo pertinent leges *ſumptuariæ*, definitio *pretii* rerum conſumptibilium; jus dirigendi *rem annonariam*, promovendi *commerciorum* curſum & cum hoc connexum jus *Poſtarum*, inſtituendi *nundinas*, *pondera*, *ulnas* & *menſuras* & *reliqua*, quibus ſuprema poteſtas ad obtinendum finem Civitatis ſuæ, h. e. communem tranquillitatem & felicitatem, indiget.

15. Quænam ſunt partes Superioritatis Territor. tranſeuntis?

Reſp. Quæ ſuſcipiuntur cum *Exteris Principibus* & *Rebuspulicis liberis*, tanquam *æqualibus*, quæ *functiones jure Gentium* regulantur.

16. Quænam ad has pertinent?

Reſp. Huc refertur (1) Jus *Legatos mittendi:* quod tamen in tota ſua ſublimitate, etiam quoad *Ambaſſiatores*, Principibus denegant Electores. vid. *infr. L. VI. c. 1. qu. 18.* & Electoribus ipſis hoc non competere, contra quotidianam experientiam, aſſeritur a *non nomine* in *Diſſ. de Potentatu*, ſcilicet quia ab ipſo *Monarchica* forma Imperio *ſubtiliſſime* aſſignatur. (2) Jus *Belli* & eo pertinentia. (3) Jus *Fœdera pangendi cum Principibus exteris.* Difficiles quæſtiones heic moveri ſolitas, enucleatas vide *in Diſſ. noſtr. de Fœderib. Princip. Imp. cum Extr.* (4) Jus *Mediationis* & cum hoc ut plurimum conjunctum jus *Guarantiæ Pacis.* conf. Kulpiſ. *ad Monz. P. 2. c. 5. §. 8.*

17. *Num omnes Status capaces ſunt recenſitorum horum jurium?*

Reſp. *Jure* poſſent exercere, niſi imbecillitate virium ad functiones haſce juris Gentium ſuſtinendas incapaces eſſent, dum *Exercitum juſtæ magnitudinis* cum requiſitis extra fines territorii ſui haud valent educere ac ſuſtentare, & *fœderibus, legationibus* inſtructi haud apparent; quos propterea Fürſtenerius *all. Tr.* ſeparat ab illis Statibus, qui propter vires ſuarum Provinciarum *Suprematu*, vel, ut alii affectant magis latine loqui, *Potentatu* fruuntur.

18. *Num Statuum perſonæ ſanctæ & inviolabiles ſunt?*

Reſp. Omnino, & quidem (1) *intuitu Subditorum*, qui, ſi jura Superioritatis Territorialis

lis ſibi arrogant, Crimen *Læſæ Superioritatis Territorialis* committunt, & *pari pœna* Criminis Læſæ Majeſtatis plecti poſſunt, *Bonis* delinquentium, ubicunque terrarum ſitis, *Fiſco* applicandis. *Cap. Leop Art.* 27. & *Joſeph. Art.* 26. Nec patitur indoles Superioritatis T. tum & generalis *Diſpoſitio* textuum adductorum inter Crimen læſæ Majeſtatis in *Electores* & *reliquos Status* commiſſum, differentiam admittere. Intuitu (2) *Imperii* vero ſi peccant Status, v. c. frangendo pacem publicam, *Banno*, quod habet *ſpeciem executionis militaris*, conf. Dn. a Rhetz. *J. P. L. 4. tit. 19. §. 13.* in ordinem redigi poſſunt, *perſona* eorum *inviolabili*. Si vero (3) *ut homines* peccant v. c. *homicidiis*, *adulteriis*, nullum agnoſcunt Judicem in his terris, & utuntur inſtar Regum & liberorum Principum Titulo: *Nos, Dei gratia* conf. Eyben. *Diſſ. de Tit. Nobil.* §. 19. conf. *infra L. V. c. I. qv. 9.*

19. Quomodo acquiritur Superioritas T.?

Reſp. Intuitu *Eccleſiaſticorum* Statuum *ElectioneCapitulorum.* Olim quidem ſub *Francicis Impp.* & eorum *Succeſſoribus* usque *Henricum IV.* Epiſcoporum & reliquorum Prælatorum *Denominatio* pendebat a Cæſare, uti adhuc hodie hoc *Regale* exercent Reges *Galliæ*, *Hiſpaniæ*, *Poloniæ*, *Hungariæ*, *Bohemiæ*. Verum artibus ſanguinolentis Pontificum, inprimis *Hildebrandi*, ſive *Gregorii VII.* vid. Ziegler. *ad Lancell. Diſſ. prælim.* §. 31. Imperatores hoc jure opimo, & tan-

tantum non *dimidia parte* poteſtatis in Imperio exciderunt. conf. Conring. *Diſſ. de Conſtit. Epiſcopor.* Schilter. *de Libert. Eccleſ. Germ. L. 3.* Adeo ut nunc breviter de Conſtitutione Prælatorum Germaniæ dici poſſit: Capitulum *eligit:* Papa *confirmat:* Imperator *inveſtit.* *Seculares* vero *Status* per *Succeſſionem* in Terras, quibus hoc jus *cohæret*, acquirunt.

CAPUT IV.
DE
SUCCESSIONE IN IMMEDIATA FEUDA IMPERII.

AXIOMATA GENERALIA.

1. *Electoratus* ſunt *indiviſibiles*, quod ſi in *reliquis Domibus* Principum introductum fuiſſet, vires Imperii nunc non adeo *diſtractæ* apparerent.
2. Ad introducendum *jus Primogenituræ* in Sereniſſimam Domum, *conſenſum Imperatoris* plerique requirunt.
3. Circa Controverſias Succeſſionum illuſtrium *judicat* quidem *Imperator*, Potentioribus Prætendentium *poſſeſſionis* apprehenſione *armata* (ut plurimum) ſententiam Cæſaream prævenientibus.

Quæſtio I.
Quæ Differentia ratione Succeſſionis in Electoratu & Principatu?

Reſp. Electoratus ſunt *indiviſibiles* per *A. B. cap. 24.* & ſuccedit ſemper *primogenitus*, niſi plane *inidoneus* vel ſuo jure ſponte renunciet *A. B. c. 7.* conf. Itterus *de Feud. Imp. c. 12. ſ. 22.* Ex-

Exemplum eſt in Electorali Domo Brandenburgica, tempore *Friderici I.* qui præterito primogenito *Johanne*, bona ipſius gratia, heredem Electoratus fecit *Fridericum II.* vid. Dn. Stryk. *de Cautel. Teſtam. Cap. V. M. 2. §. 14.*

2. *Linea autem Electorali in Deſcendentibus extincta quis ex Collateralibus ſuccedit; an Agnatus ſenior ætate; num vero Agnatus Lineæ evacuatæ proximor?*

Reſp. Acriter hoc diſputatum fuit inter Lineas Saxonicas Ducales *Altenburgicam* & *Vinarienſem*, quarum *illa proximiorem; hæc* Seniorem prætulit. Controverſiam & eo pertinentes ſcriptores recenſet Dn. Schwed. *P. ſpec. S. 2. 3. §. 8.* Quievit vero illa Linea Altenburgica extincta. Puto tamen *proximitatem Lineæ* attendendam eſſe. Interim Rationes in utramque partem excerpſit Cruſius *de Jur. Præced. L. 4. c. 9.*

3. *Sed ſi quis jam Electoratum poſſideat, an poſſet in alio, tanquam proximus Agnatus ſuccedere?*

Rep. Affirmantis Limnæi *tom. 4. in addit. ad L. 3. c. 7.* opinio videtur vero conſentanea, cum nulla Lex prohibitiva extet.

4. *In reliquis Principatibus quomodo ſucceditur?*

Rep. Jure *Sanguinis*, ita tamen, ut in nonnullis vigeat *primogenitura*, in aliis *diviſio æqualis* inter Fratres obtineat.

5. *Ubi primogenitura introducta, an reliqui plane nihil accipiunt?*

Reſp. A Fratre ſuccedente certum *Apanagium*

gium iis debet conſtitui, pro viribus Provinciæ & perſonarum dignitate. conf. Schilt. *J. P. L. 2. Tit. 9.* add. Springsfeld. *de Apanagio.* Clarius vero poteſt aſſeri, Portionem Apanagii, *Legitimæ* rationem ſaltem habere debere, juxta Dn. Stryk. *de Cautel. Teſtam. Cap. V.* §. 20.

6. Num promiſcue Liberi Parentibus Principibus ſuccedunt?

Reſp. *Naturales* non, licet a Cæſare *legitimati* ſint, Itter. *de Feud. Imp. c. 14. ſ. 1.* add. Dn. Joh. Sam. Stryk. *Diſſ. de Liberis Natural. Princ.* Aliud vero dicendum de liberis ex *matrimonio inæquali* ortis. Itter. *l. c.* Rhetz. *J. P. L. 1. Tit. 20.* §. 6.

7. *Num jus Primogenituræ Teſtamento Patris Principis poteſt introduci?*

Reſp. Ex communi opinione *conſenſus Imperatoris* ad id requiritur. Itter. *L. c. c. 13.* §. *11.* Nec ſufficit *Teſtamentum*, licet *Execratione* Teſtatoris munitum ſit. Eleg. Reſponſio in *Controverſia illuſtri* hoc comprobat Dn. Stryk. *de cautel. Teſtam. C. 6. m. 2.* §. *26.* ubi in *Append. num. V.* iſtiusmodi Teſtamentum occurrit.

8. *An etiam Con-Statuum conſenſus neceſſarius eſt?*

Reſp. Juxta Limnæum *J. P. L. 4. c. 8. n. 121.* in Comitiis hoc fieri debet, & in Domo *Caſſellana* & *Darmſtadina* primogenituræ jus Pactis publicis Weſtphalicis confirmatum eſt *J. P. art. 15. in f.*

inf. Verum hoc non neceſſitatis eſſe, verius videtur. conf. Dn. Stryk *all. Tr. C 5. m 2. §. 18.*

9. Num etiam alio modo, citra Diviſionem Fratrum ſuccedi ſolet?

Reſp. Si *communi* ſuccedentium nomine Territorium regatur, relicta *Seniori* aliqua Prærogativa; vel in Regimine *alternatur*, quod vocant die Mutſchierung. vid. Itter. *de Feud. Imp. c. 13. §. 12.*

10. Nonne datur etiam Succeſſio Conventionalis?

Reſp. Huc pertinent *Pacta Confraternitatum* die Erb-Verbrüderungen, quæ adhuc ſunt inter Domus Saxonicam, Brandenburgicam, Haſſiacam, de qua materia *pecul. Tr.* egit Carpzovius; conf. Itter. *de Feud. Imp. c. 17. §. 1.*

11. Si a proximis Agnatis aut alio modo conventionali ſuccedatur, quid conſequuntur Vidua & Filiæ?

Reſp. Viduæ fruuntur *Dotalitio* pro conditione Territorii, aut ſecundum conventionem, de qua materia conſulendus Mylerus *in Gamologia Perſonarum Illuſtrium*, add. Dn. Coccej. *J. P. cap. 28.* Filiabus *allodialia* cedunt, ad quæ quid pertineat, *eleganti Diſſertatione de Jure Allodiali Principum Imperii expoſitum eſt a Dn. Strykio. Conferantur etiam Acta Publica Controverſiæ inter Domum Palatinam Electoralem & Ducisſam Aurelianenſem (d'Orleans.)*

12. Succeſſor illuſtris num indiſtincte tenetur Obligationibus Anteceſſoris?

Reſp. Communiter diſtinguunt inter illum,

lum, qui ſuccedit jure *hereditario* & jure *proprio; illum* factum defuncti præſtare debere; non vero *hunc*. conf. Ziegler *de Jur. Maj. L.1.c.4.§.48.* In genere quæ Grotius *de J. B. & P. L. 2. c. 14. n. 11. ſequ.* in medium circa obligationem Succeſſoris Principis affert, etiam ad *libera territoria* Germaniæ eorumque Succeſſores applicanda videntur. add. Rhet. *Comm. J. Feud. l. 1. tit. 3. n. 19.*

CAPUT V.
DE
TUTELA PERSONARUM ILLUSTRIUM.

GENERALIA AXIOMATA.

1. Tutor Principis Electoralis usque ad 18. eſt *Proximus Agnatus;* quoad adminiſtrationem vero *reliquarum Provinciarum*, Teſtamento *alius* etiam conſtitui poſſe videtur.
2. Matres *illuſtres* Tutrices eſſe poſſunt Filiorum *Minorennium.*
3. Interdum *veniam ætatis* ab Imperatore Principes minorennes regnaturi petunt.

Quæſtio I.
Quid ſi Succeſſor in Territorio per ætatem incapax ad regnandum ſit?

Reſp. Tunc per certum tempus lege definitum ſub *tutela illuſtri* eſt.

2. *Num tempus illud ratione omnium Statuum impuberum æquale eſt?*

Reſp. In *Electorum Filiis* Tutor præponitur usque ad *annum 18. completum*, & quidem *pro-*

proximus Agnatus; *A. Bulla Cap.* 7. §. 4. ibi Frater *Senior* ejusdem Primogeniti *Tutor exiſtat.*

3. Num ergo nullus alius conſtitui poterit Teſtamento?

Reſp. Sunt, qui hanc diſpoſitionem A. Bullæ ad *jus*, *vocem* & *poteſtatem eligendi Imperatorem* reſtringunt, quam adimi poſſe Agnato proximo negant; alium vero poſſe Teſtamento conſtitui tutorem ratione *educationis Perſonæ*, & *adminiſtrationis Electoratus*. vid. Dn. Coccej. *J. P. Prud. c.* 29. *ſſ.* 17. Verum hoc dubiis graviſſimis haud caret, quæ allata ſunt a Dn. Strykio *Diſſ. de tutela materna principum imperii. c.* 1. §. 18.

4. Verum annon extra Electoratum quoad reliquas Provincias Tutor adjungi teſtamento poterit?

Reſp. Facilius hæc ſententia cum B. Dn. de Rhetz *J. P. L.* 1. *T.* 7. *§.* 14. defendi poterit.

5. Num ſub hac tutela etiam Rex Bohemiæ comprehenditur?

Reſp. Acriter de hac re diſceptatum eſt in *electione Caroli V.* inter Legatos Sigismundi, tanquam proximi Agnati Regis Bohemiæ Ludovici, & Legatos Procerum Regni Bohemiæ. Cujus tamen diſceptationis hodie nullus uſus, Dn. Stryk. *all. l.* §. 18. quoniam tempore *Ferdinandi II.* Proceres Bohemici juribus ſuis eximiis, quæ recenſentur in der Bohemiſchen *Deduction* 1620. exciderunt.

6. Quid de eccleſiaſticis Electoribus dicendum eſt?

Reſp. Si forte contra *Capit. 7. X. de Elect. & Elect. pot.* Princeps *intra 30. annum* eligatur in Epiſcopum, accepta *diſpenſatione pontificia* absque tutore vel *coadjutore* officium ſuum exercent; Sic olim Elector Colonienſis Joſephus Clemens 17. ætatis anno, accepto Decreto *Eligibilitatis* a Papa *Innocentio XI.* Archi-Epiſcopatum rexit.

7. Principum Imperii tutela nonne ad Matres eorum pervenire poteſt?

Reſp. Omnium, quod Exemplis pleraque Domuum illuſtrium Germaniæ comprobat Dn. Stryk. *all. Diſſ. cap. II.*

8. Quo anno Principes Imperii majorennes fiunt?

Reſp. Ex communi Opinione anno XXV. Brevius ſpatium tamen in nonnullis Domibus illuſtribus præfinitum eſt, quas enumerant Limnæus *J. P. L. 3. c. 7. n. 41.* Myl. ab Ehrenb. *de Stat. Imp. P. 1. c. 29. §. 6.* Interdum ab Imperatore *venia ætatis* impetrari ſolet. Exemplum recens in Domo Würtenbergica eſt, ubi *Eberhardus Ludovicus* Dux 17. ætatis annum agens, pro majorenni declaratus fuit. add. Schilt. *J. P. L. 1. tit. 13. §. 7.*

CAPUT

CAPUT VI.
DE
INVESTITURA FEUDORUM IMPERII.

GENERALIA AXIOMATA.

1. Statuum *Inveſtitura* coram *Imperatore* quidem peragitur, ſed ab *Imperio* proficiſcitur.
2. In Feudis *oblatis*, qualia Statuum ſunt, *Veræ collationis* vim non habet Inveſtitura.
3. Iuramentum ab Inveſtiendo præſtandum de *Fidelitate Imperatori & Imperio ſervanda* conſtituit una cum Inveſtitura *vinculum commune*, & in Imperio illud præſtat, quod apud Belgas Fœderatos *Pactum Unionis Ultrajectinæ*.
4. *Jurant* Status, ſed ſalvis ſuis juribus, *Juramento* Imperatoris in capitulationibus munitis.

Quæſtio I.

Inveſtitura Feudorum Imperii quando opus eſt?

Reſp. Quoties mutatur *Imperator*, vel Territorii *poſſeſſor*; Toties ejus prævia Inveſtituræ petitione, intra *anni* ſpatium ſub pœna amiſſionis facienda, Imperator jus Territoriale, præſtito Inveſtiendi juramento, neceſſario & ſolenni Actu confirmat.

2. *Num hoc juramentum præjudicat Statuum libertati & exiſtimationi?*

Reſp. Neg. quia præſtatur *ſalvis ipſorum juribus*, & ſemper tacite hæc clauſula intelligitur. conf. *Diſſ. de libertate principum imperii circa Fœdera cum exteris* §. 12. Neque hoc juramentum *homagiale* eſt, ſed *ritus potius ſolennis*, quam

veræ

veræ collationis rationem impertitur actus inveſtituræ. Præterea *nexum feudalem*, qui *modum habendi* tantum ſpectat, civilis Imperii *Independentiæ* haud obeſſe, pluribus oſtendit Grotius *de J. B. & P. L. 1. c. 3. §. 23.* Viciſſim vero Imperator *Capitulationem* ſuam *juramento* corroborare adſtringitur. *Cap. Joſeph.* in *fin. ibi:* Jnmaſſen Wir mit einem leiblichen Eyde zu GOtt und dem H. Evangelio geſchworen, daſſelbe ſtet, feſt und unverbrochen zu halten.

3. Quibus Solennibus peragitur Actus Inveſtituralis?

Reſp. Illa ex *appendice examinis juris feudalis* Dn. Strykii & ibi allatis exemplis *actuum recentiorum Inveſtituræ Cæſareæ* peti poſſunt.

4. Quare vocantur Zepter- und Fahnen-Lehnen?

Reſp. Olim moris erat, ut ſtatus eccleſiaſtici *ſceptro* inveſtirentur & ſeculares *Vexillo.* Schwed. *P. Spec. S. 1.* §. 2. Hodie promiſcue *tacto Gladio* peragitur. Itter. *de feud. imp. c. 9. §. 31.*

5. Rex Bohemiæ & Archi-Duces Auſtriæ num extra territoria ſua inueſtituram petere neceſſe habent?

Reſp. Negando. vid. Monzamb. *de Stat. Imp. l. 4. c. 7. §. 7.* Itter. *l. c.* add. Ferdinandi II. *Aſſertio pro Regno Bohemico* apud Lundorp. *Act. Publ. tom. 1. l. 4. c. 101.*

6. Electores num pro inveſtitura aliquid ſolvunt Cancellariæ Imperat.?

Reſp. Ab hoc onere immunes ſunt. vid. Bœcler.

Bœcler. *Not. Imp. l. 6. c. 2.* Weil ſie vor Empfängniß ihrer Reichs Lehn und Regalien die ſonſt gewöhnliche Lehn-Tax und Verehrungen auszurichten nicht ſchuldig. *A. B. tit. 29.* Hinc notat Wagenſeil *de offic. imp. c. 19. §. f.* Autorem der Welt-Schaubühne (qui, ni fallor, celeberr. *Hiob Ludolfus* eſt.) p. 163. aſſerentem, hoc hodie in deſvetudinem abiiſſe. Nam quod hoc caſu ab Electoribus datur, ex generoſa libertate fit.

7. *Civitates Imperiales num etiam a Cæſare inveſtiuntur?*

Reſp. Neg. Sed ſolet novo Cæſari ab iis *homagium miſſo commiſſario cæſareo* præſtari, ſalvis tamen eorum juribus.

8. *Comites & barones immediati num etiam coram Cæſare inveſtiuuntur?*

Reſp. Neg. cum actus inveſtituræ Feudorum principalium *ſolum* coram Imperatore peragatur. Reliquorum ſuſcipitur in *judicio aulico*, ubi inveſtiuntur Germani *ſtantes;* Itali in *genua procumbentes*, vid Actus Inveſtituræ Comitum Italicorum ap. Dn. Stryk. *all. l. n. IV.*

9. *Ante inveſtituram an ſtatus in comitiis voto gaudent?*

Reſp. Affirm. nec opus habent indulto imperator*is*. Hinc cum a Cæſare ejusmodi Diploma diſpenſatorium Electori Saxoniæ 1608. quo ante inveſtituram comparitio in comitiis indulgebatur, offerretur, illud acceptare declinavit, qui etiam absque hoc illa facultas ſalva foret,

ret. vid. aus dem Churfürſtl. *Protocoll.* apud Müldener. *in capit. Harm. in App.* Kulpis. *ad Monz. p. 155.*

CAPUT VII.

DE

MODIS AMITTENDI SUPERIORITATEM TERRITORIALEM.

AXIOMATA GENERALIA.

1. Status *legibus fœderis* ſive pactis & conventionalibus non ſatisfaciens, *armis* ad id poteſt compelli.
2. Ad ſpeciem *Armatæ compulſionis Bannum* Imperii pertinet.
3. Status Catholico-Eccleſiaſticus religionem mutans, per *reſeruatum* ſic dictum *eccleſiaſticum*, poteſtate territoriali excidit.
4. *Immedietas* aliquorum dubia eſt, dum potentiores, in quorum Territorio *Bona* ipſorum ſita, *eximere* illa, annituntur.

Quæſtio I.

Quomodo excelſa Superioritas T. amittitur?

Reſp. Potiſſimum *triplici* modo (1) per *delictum.* (2) per *ſpecialia pacta* (3) per *exemtionem.*

2. *Quomodo per delictum?*

Reſp. Quamvis illa, quæ ex jure privato Longobardico de *Felonia* afferuntur, huc tuto proprie non applicanda ſit; Nullum tamen dubium eſt, quod vi legum publicarum, ſi plane *hoſtilis animus* contra communem Rempublicam

cam appareat, in Bannum declarari & Territorio ac omnibus juribus inde dependentibus excidere poſſit, quemadmodum *Bavari* & *Colonienſis* declarationes in Bannum hoc ſeculo factæ id teſtantur.

3. Quomodo per ſpecialia pacta amittitur ſuperioritas T.

Reſp. Huc pertinet conventio, quod ſtatus *catholico-eccleſiaſticus*, ſi evangelicam religionem amplectatur, *omne jus cum territorio* ſimul amittere debeat, *illæſa* quamvis *dignitate perſonali*. Vulgo vocari ſolet *reſervatum eccleſiaſticum*, der Geiſtliche Vorbehalt, cui olim evangelici ſat maſcule ſemet oppoſuerunt, donec *Pace Weſtphalica Art. V.* §. 15. res compoſita eſt.

4. Quid ſi Prælatus Evangelicus tranſeat ad Pontificios?

Reſp. Eadem diſpoſitione *Inſtrumenti Pac. Weſtph. Art. V.* §. 15. privatur proventibus & juribus prælaturæ. Ex hoc capite Agnato ſuo *Chriſtiano Auguſto* Duci *Saxo-Zizenſi*, pontificio facto, *Cardinali* & Epiſcopo *Jaurinenſi*, Thuringiæ *Balliviam* Elector Saxoniæ eo tempore ademit; fruſtra contra has conventiones publicas ringente *Magiſtro Ordinis Teutonici*. conf. Dn. Stryk. *de Jure Papal. Princ. Evangel. c. 3.* §. 4.

5. Quomodo amittitur ſuperioritas T. per exemptionem?

Reſp. Hæc vel *totalis* eſt, quando ſtatus *externo imperio* ſubjicitur v. c. Alſatia & Argento-

toratum Regi Galliæ; vel liberi & ſui juris pronunciantur, uti *Helvetia* & *Belgium*, olim membra Imperii: vel *partialis*; ſi ex illo, qui *pro ſtatu* Imperii ſe geſſit, & aliquo tempore pro tali habitus fuit, fiat *Status Provincialis*, ein Land-Stand. Prolixum Catalogum *Eximentium* & *Exemptorum* der Außziehenden und Außgezogenen exhibent Zacharias Vietor *Tr. de Exemption.* Limn. *Tom. I. in add. ad L. 1. c. 7. n. 73.*

LIBER IV.

CAPUT I.

DE

COMITIIS IMPERII VNIVERSALIBVS.

AXIOM. GENERAL.

1. In *Territoriis* Status *ſeorſim regunt:* In *Comitiis* expediunt *res communes conjunctim.*
2. Idque per *tria Collegia: Electorale, Principum* & *Civitatum liberarum.*
3. In his Collegiis concluditur der *Majora*, exceptis deliberationibus *Religionis* & *Collectarum.*
4. *Pluralitas* Collegiorum *cum Imperatore* facit *concluſum* Imperii.
5. Præſentia Comitia videntur *perpetua* futura eſſe.

Quæſtio I.

Quid ſunt Comitia Imperii?

Reſp. Sunt *conventus imperatoris & ſtatuum ad*

ad negotia totum imperium concernentia Cæſaris ac Statuum, aliquando omnium, ſæpius plurium conſenſu definienda.

2. *Num unitas reipublicæ ex his maxime conſpicitur?*

Reſp. Cum ſtatuum territoria, intuitu ſuperioritatis T. pro *ſeparatis rebuspublicis* habenda ſint; Facies *communium rerum Imperii* & nexus vinculi univerſalis potiſſimum in comitits apparet.

3. *Num comitia a primordiis Reip. Germanicæ viguerunt?*

Reſp. Jam ſub imperatoribus Carolingis libertas, per *ordinum ſuffragia comitialia* res arduas definiendi, placuit. *v. ſupra L. 1 c. 2. qu. 4.*

4. *Quis indicit Comitia?*

Reſp. Imperator, & quidem toties, quoties exigit *publica imperii neceſſitas. Inſtr. Pac. art. 5. §. 8.* prævio conſenſu *Septem;* Capit. *Joſeph. art. 16.* vel hodie Novem Electorum. Regis *Bohemiæ* vero in hoc negotio extra *Diætas Electionis Novi Regis* nulla habetur ratio. (*) Rhetz. *J. P. L. 1. tit. 10.* §. 7. Dn. Klein. *de Prærog. Princ. Imp. c. 2. n 139.* Interim Electores in capitulationibus imperii caverunt; mit den Reichs-Tägen unnothdürfftig nicht beladen zu

(*) Sed hodie Rex Bohemiæ in omnibus Imperii conuentibus tam in ordinariis, quam extraordinariis ſeſſionem & votum habet. vid. diſſ. *Ill. de Ludewig de jure Suffragii Reg. Bohemiæ.*

H

zu werden: quod cur factum ſit, miratur *A.* der Grundſ. *p.30*, prudenti hac epicriſi concludens: Hat faſt eine Beſchaffenheit wie mit der Evangeliſchen Lehr von guten Wercken, womit D. Luther zu ſeiner Zeit bey dem gemeinen Volck viel zu thun hatte, damit er ihnen den eingebildeten Verdienſt derſelben aus dem Sinne bringen möchte. Wenn er aber jetzund wieder auferſtehen, und, wie faſt niemand eines guten Werckes GOtt zu Lobe ſich befleißige, ſehen ſolte, würde er ſonder Zweifel ſeine Predigten dießfalls anders einrichten.

5. Quomodo convocatio comitialis ſtatibus inſinuatur?

Reſp. Olim ſtatibus fiebat *literis patentibus* rudioribus & per modum mandati. vid. Kulpis *ad Monz. p. 149*. Hodie Status nequidem voculam *Citationis* ad Comitia *æquo* animo ferunt. Grundſ. *p. 18*. & blanda invitatione ad id ſolent a Cæſare invitari, maxime potentiores literis ipſius Imperatoris manu exaratis (durch Käyſerliche Hand-Briefe.) conf. Monzamb. *c.5. §.25*.

6. In quibus locis Comitia habenda ſunt?

Reſp. Hoc non definitur Legibus publicis, niſi quod in *A.B. prima* Comitia poſt electionem Cæſaris *Norimbergæ* habenda ſanciantur *Cap.28. §.5*. Hinc prudentiæ Indicentium hoc relictum eſt, & commodiſſimæ ad illa videntur *Civitates Imperiales* in meditullio Germaniæ ſitæ, licet præciſe neceſſarium haud ſit. Rhetz. *J.P. L.2. Tit.14. §.6*.

7. *Num*

8. *Num omnes ſtatus convocandi ſunt?*

Reſp. Aff. licet eccleſiaſtici nondum *infulati* & ſeculares *inveſtiti* ſint. Sed evacante *capitulum* compareт, & Statuum *minorennium* tutores.

8. *Num etiam Nobiles immediati?*

Reſp. Jure ſeſſionis & ſuffragii in Comitiis *hodie non gaudent.* Interim veſtigia adſunt, quod olim *Comitialibus deliberationibus interfuerint.* vid. Kulpis *ad Monz.c.2.§.14.* quod quomodo contigerit, ſat eruditæ conjecturæ ſunt Dn. Dattii *de Pace publ. L.5.c.4.ſequ.*

9. *Quænam ſunt præambula comitiorum?*

Reſp. Vice Mareſchallus Imperii *certior factus* de adventu Principum vel Legatorum, iis aſſignanda curat hoſpitia. Dein prima cura eſſe ſolet, ut Imperator, ſi præſens, vel ejus Legati, *viſitentur.* Denique Legati per *literas credentiales* (Creditiv-Schreiben) coram *Directorio Moguntino* ſemet habilitant.

10. *Quid circa introductionem deliberationum comitialium obſeruandum?*

Reſp. Si ſtatus *juſto numero* comparuerunt, & placet *deliberationes ordiri;* initium fit a *ſacris*, quibus peractis, *Imperator* vel ejus *Commiſſarius Principalis* ex *Throno*, quem *Electores* & eorum *legati* uno gradu inferiores circumſident, *reliqua ſubſellia principibus eccleſiaſticis* & *ſecularibus* occupantibus, *legatis civitatum* vero *extra cancellas ſtantibus*, gratiarum actione pro frequenti comparitione defungitur, & tandem

per *ſecretarium* Imperialem *propoſitionem* prælegendam curat. Grundſ. *P.2.c.2.* Poſtea a *Moguntino* nomine omnium, debitis curialibus reſpondetur & *communicatio propoſitionis* petitur.

11. Quomodo hiſce curialibus peractis deliberationes inſtituuntur?

Reſp. Ordines deliberaturi in *tria* ſeparata collegia diſcedunt; I. eſt collegium *Electorale*, ubi *dirigit* Elector *Moguntinus*. Sede *vacante* deſuper lites ſunt inter *Capitulum*, *Trevirenſem*, *Colonienſem*, & Electorem Saxoniæ, omnes hoc *prætendentes*. II. Collegium *principum* eſt, in quo directorium *alternatim* penes *Auſtriacos* & Archiepiſcopum *Salisburgenſem* eſt. vid. Kulpis *ad Monz.p. 163.172.* III. Collegium *civitatum imperii* eſt, ubi *dirigit* civitas ex earum medio, in qua Comitia habentur. Separatio in tria hæc collegia cœpiſſe creditur 1489. in Comitiis Francofurtenſibus vid. Grundſ. *P.2. c.3. junct. P.3. c.6.* alii tamen altius originem repetunt, maxime *Collegii Electoralis*. vid. Dn. Coccej *I.P. c.20. §.21.*

12. Num res deliberandæ præciſe juxta ordinem propoſitionis Cæſareæ tractandæ?

Reſp. Hoc lege aliqua fundamentali expreſſe non eſt ſancitum. conf. tamen Monzamb. *c.5. §.26. & ibi Kulpis.* Grundſ. *P.3. c.2.*

13. In collegiis ipſis num pluralitas votorum obtinet?

Reſp. Affirm. niſi in cauſa *religionis*, *collectarum*, & in *quæ ſtatus, ut unum corpus*, conſiderari nequeunt. *I. P. art.5.§.52.* & Grundſ. *P. 2. c.5.*

14. Num

14. *Num etiam pluralitas ratione collegiorum attenditur?*

Reſp. *Duo* collegia una cum imperatore concluſum Imperii facere poſſe, licet *tertium* diſſentiat, illuſtribus exemplis & obſervantia comprobat A. der Grundſ. *P. 2. c. 8.* add. Dn. Coccej. *I. P. c. 20. §. 37.*

15. *Quid vero ſi imperatoris conſenſus non poſſit impetrari?*

Reſp. Si inter imperatorem & ſtatus conveniri haud poſſit, nihil agitur, nec formatur decretum imperii, ein Reichs-Schluß, vid. Kulpiſ. *Diſſ. de Placito Ordinum Imperii §. 3. n. 16.*

16. *Quid ſi Cæſareus conſenſus Statuum placito accedat?*

Reſp. Tunc efficiuntur Decreta Comitilia & Imperii, quæ aut *ſeparatim*, aut in *formam Receſſus* imperii redacta, publicantur.

17. *Super quibus negotiis in comitiis deliberatur?*

Reſp. Per *Inſtr. P. art. VIII. §. gaudeant. 2.* Status gaudent *jure Suffragii in omnibus deliberationibus ſuper negotiis imperii*, præſertim ubi (1) *leges ferendæ* vel (2) *interpretandæ* (3) *bellum* decernendum, (4) *tributa* indicenda, (5) *delectus* aut (6) *hoſpitationes* militum inſtituendæ, (7) nova *munimenta intra* ſtatuum *ditiones* extruenda, (8) nomine *publico* vetera firmanda *præſidiis*, nec non ubi (9) *Pax* & (10) *fœdera* facienda. Ceterum prolixum Catalogum horum negotiorum recenſet *Autor* der Grundſ. *P. 3.*

c. 1. quoniam vero ille a partibus principum ſtat, quippe qui fuit Conſiliarius Saxo-Vinarienſis, *Rudolphus Heiden*, vid. Bedencken über die Grundfeſte *p. 2.* deprehenduntur in illa recenſione negotia, quæ ut *Cæſareo-Electoralia* ſolent conſiderari, aut ſaltem in quorum exercitio *ſolitario* hactenus Electores Principes ſunt. *vid. ſupra L. 2. c. 2. qu. 9.*

18. Si ſuper privatis negotiis v. c. emendatione proceſſus agitur in Comitiis, num hoc omnes obligat?

Reſp. Solent tunc illi, qui intereſſe putant, ne juribus in territoriis ſuis receptis præjudicetur, *proteſtationes* interponere. Sic cum in *ultimo receſſu de 1654.* nova proceſſus forma præſcriberetur, Elector *Saxoniæ* proteſtatione de non præjudicando juri Saxonico ſibi cavit, quod tamen magis *cautelæ* loco fieri videtur, quam quod *neceſſarium ſit*, cum negotia privata proprie objectum deliberationum comitialium haud conſtituant & in illis rebus, quæ intuitu ſalutis communis, *indifferentes* ſunt, ſtatuum poteſtas in territoriis ſuis, illibata ipſis relinquenda eſt. vid. ill. Dn. Thomaſ. *Diſſ. de poteſt. legislat. ſtat. contra jus commune. ſ. 55 - 95.*

19. Quousque durare comitia ſolent?

Reſp. Olim comitia exiguo tempore fuere finita & raro *annua.* Grundf. *p. 27.* Hodierna ab anno 1663. ad usque noſtra tempora durarunt. Nec deſunt, qui perpetua fore augurantur. An

vero

vero hoc e re imperii ſit, diſcuſſum eſt *in I. P. prud. Diſſ. X. §. 17.*

CAPUT II.
DE
ORDINARIIS ET EXTRAORDINARIIS IMPERII DEPUTATIONIBUS.

AXIOMATA GENERALIA.

1. Ad facilitandam expeditionem negotiorum celeritatem requirentium placuit *Ordinaria imperii deputatio.*
2. Quod per *illam* conſenſu imperatoris & *duarum claſſium* des Chur- und Fürſten Raths concluditur, in *receſſum deputationis* redigitur, ejusdem cum reliquis receſſibus valoris.
3. In comitiis *extraordinaria* deputatio interdum inſtituitur v. c. quando *legati ad imperium miſſi* audiendi.

Quæſtio I.

Nonne alii modi ſunt, negotia communia imperii expediendi, quam in comitiis?

Reſp. Per *ordinariam imperii deputationem* gemeine oder ordinaire Reichs Deputations-Täge, in quibus a *nonnullis* ad id deputatis *omnes repræſentantibus* negotia totum imperium concernentia expediuntur.

2. *Quinam ſunt hi deputati?*

Reſp. *Numerus* eorum in *comitiis auguſtanis 1555.* quibus inſtitutum hoc originem debet, ſatis reſtrictus fuit, ſcil. ad VI. *Electores*, 4. *Principes*, 1. *Prælatum*, 1. *Comitem*, & 2. *Civitates*

Imperiales. Hiſce alii ſucceſſu temporis adjecti, vid. Schwed. *P. Spec. S. 1. c. 31.* Usque dum *Inſtr. P. art. 5. §. 18.* ſancitum eſt de pari numero ex catholicis & evangelicis ſtatibus, & ſupplementum ad *proxima comitia* rejectum eſt. Itaque in *comitiis* de An. 1654. negotium hoc reaſſumtum & quæ concluſa Receſſui de dict. an §. Dieweil 195. inſerta ſunt. Grundſ. *P. 3. c. 6. p. 249.*

3. Quis indicit hanc deputationem imperii?

Reſp. Elector Moguntinus, quoties e re imperii hoc arbitratur. Olim *Francofurti ad Mœnum* inſtituenda: hodie hoc liberum eſt, *R. J. d. 570. §.* derohalben ſoll ꝛc.

4. Num etiam imperator ad hoſce conventus vocatur?

Reſp. Affirm. & penes *hunc* vel ejus *commiſſarios* eſt *jus proponendi.*

5. Quomodo in illis proceditur?

Reſp. Status in *duas claſſes* ſecedunt; *Una* electorum eſt; *altera* reliquorum ſtatuum. Contradictiones ſuper hac ſeparatione vid. apud Schwed. *P. Spec. Sect. 1. §. 4.* & ut in hiſce deputationibus quid ſtatui poſſit, neceſſe eſt, ut *duæ hæ curiæ*, der Chur- und Fürſten Rath inter ſe, & cum ipſis Legatus Cæſaris conſentiant. R. J. d. 1555. §. und im Fall. Schw. *l. c.* Si hoc fit, deinde a Moguntino in formam receſſus redigitur, qui receſſus deputationis appellatur, & ejusdem cum aliis receſſibus valoris eſt.

6. Num

6. Num Cæſare mortuo expirant hæ deputationes?

Reſp. Non, quia ab ipſo ſolo non dependent. Schwed. *l. c.* §. *3*.

7. *Num etiam huc pertinet Viſitatio Cameræ?*

Reſp. Affirm. Schema *Viſitatorum* reperitur in *calce Receſſus d. 1654.*

8. Num præter ordinarias Deputationes, dantur etiam extraordinariæ durantibus Comitiis?

Reſp. Affirm. quia ordinarius modus, in comitiis forma ſolita quid expediendi lentus eſt & ambages amat. Hinc ratio nonnullorum expediendorum poſtulat, *deputatis ex tribus collegiis & pari numero ex utraque religione* determinationem committere, & vocatur *Extraordinair-Deputation.* Negotia ardua hoc modo terminata, enumerat *A.* der Grundf. *P. 2. c. 7.* Sic quando *legati ad imperium* mittuntur, ad eos audiendos *certi ſolent deputari* in comitiis, quod in ſpecie cum Gallico Legato Ratisbonæ, Domino de Gravell, obſervatum fuiſſe, idem teſtis eſt *l. c.*

CAPUT III.
DE
CONVENTIBUS PARTICULARIBUS.

AXIOMATA GENERALIA.

1. Status habent jus ſemet congregandi pro lubitu, inde Diætæ *electorales*, Churfürſten; & *Principales*, Fürſten-Täge.
2. Hi imperatore invito poſſunt inſtitui. Si vero ejus monito, ſolet per *legatos* iis intereſſe.

Quæſtio I.

Præter enumeratos univerſales conventus, danturne etiam particulares certorum Collegiorum?

Reſp. Affirm. & potiſſimæ ſunt inter illos *Diætæ Electorales*, Churfürſten-Täge, de quibus jam diſpoſitum eſt in *A. B. c. 12.*

2. *Num in hiſce etiam Rex Bohemiæ præſens eſt?*

Reſp. Neg. niſi de electione *Regis Romani* forſan Conſultatio inſtituenda foret. *) vid. Cautio Vladislao Bohemiæ Regi a ceteris Co-Electoribus 1489. tradita apud Goldaſt. *P. 2.* der Reichs-Sazungen p. 178. Limn. ad *A. B. c. 12. §. 4. obſ. 4.*

* Aliter hæc hodie vid. ſupra Lib. IV. c. 1. qu. 4.

3. *Ex quibus cauſis hi conventus inſtituuntur?*

Reſp. Sat generales & magnificæ allegantur in *A. B. c. 12. §. 1.* ad tractandum de ipſius *imperii orbisque* ſalute. In der Churfürſtl. Brüderl. Verein. *d. 1521. §. 1.* Cauſa exprimitur:

Nuz

Nutz und Noth des H.R.Reichs. Quod in *capitul. Joſeph. art. 6,* adhuc ſpecialius exponitur: Auch ſo ſie beſchwerlich obliegen heben, daſſelbe zu bedencken und zu berathſchlagen. Unde conjici poteſt, quod illa, quæ prærogativas, dignitatem & jura hujus collegii attinent, in hiſce Diætis utramque paginam faciant.

4. Quot ejusmodi Diætæ Electorales inſtitutæ fuerunt?

Reſp. Varias recenſet Rachelius in *Diſſ. pec. de Diætis Electoral.* quæ in B. Fritſchii *novo Volum. Diſſertationum Iuris Publici num.* 7. occurrit. add. *Vitriar. illuſtr. L. 3. tit. 8. §. 3.* Crüger *de Novemvirat. P. ſpec. M. 2. D. 7. §. 10.*

5. Num principes etiam jure ſeparatim conveniendi gaudent?

Reſp. Tales conventus principum, Fürſten-Tåge, in imperio non inſoliti ſunt, & occaſione *noni Electoratus* Noribergæ ejusmodi conventus Principum der wegen des Neunten-Chur-Weſens correſpondirenden Reichs-Fürſten, celebratus fuit.

6. Num etiam reliquis ſtatibus hoc licet?

Reſp. Affirm. Sic de conventibus *civitatum imperialium* diſponit *art. 6. cap. Leop.* De Conventibus *Comitum* vid. Fritſch. Pec. *Tr. de Convent. Com.* Imo & *Nobilitatem immediatam* in poſſesſione immemoriali, Diætas Equeſtres Ritter-Tåge inſtituendi, eſſe, aſſerit Nolden. *de ſtat. nobil. c. 17.*

CA-

CAPUT III.

DE CIRCULIS IMPERII ET CONVENTIBUS CIRCULARIBUS.

AXIOM. GENERAL.

1. Vaſta Compages Imperii diviſionem in certos *circulos* exegit, quod tempore *Maximiliani I.* in X. factum eſt.
2. *Executiones* in imperio faciendæ contra ſtatus pertinent ad *Directores* & *Duces* circulorum.
3. *Ordinatio Executionis* circulorum ambagioſa, nec ad *præſentia tempora* accommodata eſt.
4. Intuitu circulorum multi defectus occurrunt, & deliberationes de *Redintegrationibus circulorum* magno imperii malo negliguntur.

Quæſtio I.
Quot ſunt imperii circuli?

Reſp. Diviſionis imperii in *circulos X.* germanice Reichs-Creyſe, Autor eſt Maximilianus I. qui in *Auguſtanis Comitiis* 1500. cum conſenſu ſtatuum primum conſtituit *ſex circulos*, vid. *I. P. in addit. ad tom. 2. lib.* 7. quibus poſtea 1512. quatuor adjecit.

8. Nonne ante illa tempora imperium in circulos diſtinctum fuit?

Reſp. Vetuſtiſſima jam ſub Carolingis Imperatoribus, Germaniæ diviſio in *ſeptem populos & provincias* fuit, quæ & baſis diviſionis ſub Maximiliano haud dubie fuit. vid. Dn. Coccej. *I. P. Prud. c. 4.* Verum propria determinatio in

in X. *circulos* & eorum *limites* ſub Maximiliano I. placito imperii adſcribenda eſt.

3. Quæ cauſæ hujus inſtituti?

Reſp. Ut eo ordinatius in *vaſto corpore* imperii omnia dirigi poſſent, dum illi complexus diverſorum ſtatuum ſunt, eorumque territoriorum ad tranquillitatem utilitatemque communem, *ſalvo nexu univerſali inter ſe* ſociatorum.

4. Ex quibus membris quilibet circulus conſtat?

Reſp. Catalogum illorum inſerere nimis tædioſum foret, cum paſſim recenſeantur a publiciſtis. Inprimis Zeilerus germanico libello operoſe membra ſingulorum circulorum recenſuit.

5. Num Bohemia ad circulum aliquem pertinet?

Reſp. Neg. & quæ Goldaſtus de *Circulo XI. Bohemico* affert, fide tabularum publicarum deſtituuntur. Interim huic rei etiam mutatio inſtat, dum præſentibus Comitiis tractatus fervent, de imperatore qua *Rege Bohemiæ*, ad omnes functiones Electorales admittendo, & viciſſim onus integri Circuli, (einen Creyß-Reichs-Anſchlag) a Bohemia exigendo. *) *vid. ſupra L. I. c. 2. num. IV.* Sunt etiam ſtatus, qui plane nullo circulo comprehenduntur v. c. Dux *Sabaudiæ* & Comitatus ſive principatus *Mompelgardenſis*.

*) Quæ heic jam obtineant, habetur in Hornii Juris Publ. prud. cap. 31. §. 6. in not.

6. Quo-

6. *Quomodo ſpecialiter denominantur X. circuli?*

Reſp. Sunt illi: Saxonicus *ſuperior* & *inferior*: Rhenanus *ſuperior* & *inferior*, *Auſtriacus*, *Franconicus*, *Weſtphalicus*, *Suevicus*, *Bavaricus*, *Burgundicus*.

7. *Num uni circulo præ alio præferentia eſt?*

Reſp. In legibus imperii ordo eorum fortuitus & *promiſcuus* deprehenditur, & unius præcedentia præ alio nullis fundamentis nititur.

8. *Quomodo Regimen Circulorum ſe habet?*

Reſp. Omnes circuli *uno* vel *pluribus Directoribus* Creyß-Ausſchreibenden Fürſten, & *Duce* Circuli: Creyß Obriſten, inſtructi ſunt. Directorum officium conſiſtit potiſſimum in eo, quod ſtatus & membra Circuli convocent ad *Diætas circulares*, ibique *proponant* & *dirigant*. In nonnullis autem lites ſuper directorio ſatis intricatæ vigent. Sic in Rhenano ſuperiore epiſcopus *Vormatienſis Condirectorio*, Electorem *Palatinum* intuitu principatus *Simmerenſis* excluſum cupit; & Rex Sueciæ olim, tanquam Dux *Bipontinus* Electori *Palatino* movit controverſiam; & hiſce viciſſim Landgravius *Haſſo Caſſellanus*. In *Weſtphalico* circulo lites ratione Directorii fuerunt inter electores *Brandenburgicum* & *Palatinum*, quæ 1666. *transactione* ita ſopitæ ſunt, ut Directorium *utrique* cum Epiſcopo *Monaſterienſi* commune ſit. vid. Transactio ap. Lundorp. *Act. publ. tom.9. l.10. c.119.*

9. *Quodnam Ducis Circulorum officium eſt?*

Reſp. Hoc *non*, uti Directoris, *Domui* vel *ter-*

territorio eſt annexum; ſed Dux *eligitur* a Circulo per majora. Et hinc Directoris & Ducis officium in una perſona concurrere poſſunt. Interdum Duci *nonnulli adiunguntur*, quorum numerus cujusvis circuli proviſioni relinquitur. add. Schwed. P. *gen. c.5. §. 15.*

10. Executiones rerum decretarum num præciſe ad Directores & Duces illorum circulorum ſpectant, in quibus res exequenda eſt?

Reſp. Acriter hoc ventilatum eſt in cauſa proſcriptionis *Donawerdenſis*, ubi Executio ab imperatore *Rudolpho II. Bavaro* commiſſa eſt, licet iſta civitas *Svevico circulo* comprehenderetur. conf. *Aut. Inform. Cauſ. Donawerd.* Cæterum hæc lis compoſita eſt in *Inſtr. P. art. 16. §. inprimis.* 2. ſecundum quod *præciſe* executio Directoribus & Ducibus circuli, ubi negotium geritur, committenda eſt.

11. Num ratione Ducum & Directorum circularium in executionibus præciſe hoc obſervatur?

Reſp. Omnino. Nam præter leges publicas, obſervantia recentior hoc confirmat. Sic cum 1697. ſententia in Judicio Aulico Viennenſi ab imperatore ſuper ſucceſſione G. pronunciaretur, & a Commiſſario Imperiali *Executio Sententiæ* latæ, *inſciis* directoribus, nimirum Rege *Boruſſiæ*, qua Duce *Magdeburgico;* Rege *Sueciæ* qua Duce *Bremenſi*, & Duce Luneburgico, ſum-

ſummo circuli *Saxonici inferioris præfecto*, ſuſcepta eſſet; illi *armata manu* jus ſuum ſibi vindicatum iverunt. conf. *A. Med. ad Inſtr. Pac. Spec. 5. p. 780.* Partes imperatoris hoc caſu defendere, licet tecte & quaſi aliud agendo, annixus eſt Anonymus quidam, (qui Dn. *Mulzius* Conſil. Viennenſ. creditur,) evulgata *Diſſertatione de officio Ducum & Directorum circularium;* Verum ejus rationibus abunde ſatisfactum eſt ab illuſtribus Jureconſultis in peculiaribus ſcriptis *de Officio Directorum & Ducum circularium in executione ſententiarum editis An. 1697. & 1698.* Sic olim executio circuli hujus, occaſione *motuum Hamburgenſium*, Emporium hoc ab imminente ruina ferocientis cleri & plebis vindicavit; vi armorum Directorum & Ducis circuli hujus.

12. *Circuli illi nulliſne defectibus laborant?*

Reſp. Deſiderant nonnulli haud præter rem, quod (1) *Ordinationes* circulorum indies negligi incipiant. Exempla vide in der Grundſ. *P. 3. c. 9.* (2) Quod *executiones* in illis ut plurimum *claudicent*, maxime contra potentiores; aut executiones ſecundum *ordinationem executionum circular.* quæ *Receſſui de 1555.* inſerta, add. *Cap. Leop. & Ioſ. art. 2.* *ambagioſæ* & parum accommodatæ tempori præſenti ſint. Hinc conſilium proponi cœpit von einer neuen Reichs-Verfaſſung, quod exhibent Bœcler. *Not. Imp. L. 3. c. 3.*

Sprenger. *Lucern. Imp. c. 12.* (3) Non minus ad defectus pertinet, omiſſa fere hodie *antiqua illa circulorum correſpondentia.* Bœcler. c. I. (4) *Colliſiones*, quæ inter membra unius circuli *religione & viribus* inæqualia facile ſuboriuntur. (5) Mutua *renitentia* inter *circulos & cameram.*

13. Ad quid conuentus circulares inſtituuntur?

Reſp. Comitia circularia, Creys Tâge, propterea a ſtatibus cujusvis circuli inſtituuntur, vt negotia circularia debite expediantur. Quæ comitia ob quædam obſtacula, haud levi communis Rei incommodo, omittuntur, ceu obſervatum eſt in circulis Saxonico *ſuperiore* & *inferiore* ab aliquot annis, quæ ut removeantur, ſerio nunc in comitiis deliberatur, occaſione *ærarii imperii publici militiæ & defenſionis cauſa*, allgemeine Reichs-Kriegs-und Operations-Caſſe vocatur, inſtituendi. Priusquam vero *Diætæ* circulares maxime memoratorum circulorum priſtino vigori reſtituræ ſint, parum ſpei de ſucceſſu rei, ad ſalutem imperii manifeſte ſpectantis, ſupereſt. *Conferantur Acta Comitialia publ. de 1707.*

14. Nonne etiam conventus circulorum inter ſe obſeruantur?

Reſp. Conuentus maxime vicinorum circulorum quotannis *monetæ probandæ* cauſa, urgentur in *R. I. d. 1571. §. 28.* Inde etiam nomen der *correſpondiren*den Creyſe, qui & in *tres Claſſes* diſtributi ſunt. In I. correſpondent Rhenanus ſuperior, inferior & Weſtphalicus: in II.

circulus Saxonicus ſuperior & inferior, quibus Weſtphalicus ſolet adjungi: in III. Franconiæ, Sveviæ, Bavariæ & Auſtriæ circuli. conf. *R. I. d. 1555. §. 107.* & *R. d. 1576. §. 48.*

CAPUT V.

DE

EXECUTIONE DECRETORUM COMITIALIUM.

GENERALIA AXIOMATA.

1. Executiones *decretorum imperii* communiter *claudicant*, maxime contra *exteros*, cum *bellum* contra ipſos gerendum eſt.
2. *Exercitus perpetuus*, communi ſumptu alendus, Germaniæ *perquam utilis* futurus eſſet, ſed inſuperabilia fere *obſtacula* hoc ſperare vetant.
3. Tempore *belle imperii*, huic jus eſt pro neceſſitate ejusdem, tranſitum, hoſpitationes, munimenta in *ſtatuum vicinorum*, huic oneri *imparium*, territoriis ſuſcipere.

Quæſtio I.

Quomodo comparatum eſt cum executione decretorum comitialium?

Reſp. Executio illa vel ſpectat *exteros*; vel *ſtatus ipſos*; vel eorum *ſubditos*.

2. *Quomodo exteros?*

Reſp. Si decretum quidem in comitiis contra exteros, modus *pacificus* eſt legatorum, nomine totius imperii, miſſio; ſi vero prævideatur, legationes fruſtraneas fore; ſuccedit modus

dus *hoſtilis*, ſcil. *bellum*, cum inter liberas civitates nullæ aliæ agendi viæ ſuperſint. Sic nomine imperii bellum, quod gerebatur occaſione *fatalis revolutionis Hiſpanicæ* contra Gallum, in Comitiis Ratisbonenſibus decernebatur *28 Sept. 1704.*

3. Cum vero ad bellum bene inſtructus miles requiratur, num Germania juſto exercitu ſemper inſtructa eſt?

Potentiores ſtatuum quidem ſat validum numerum militum pro ſtatu ſuarum provinciarum in promptu habent; Verum *exercitus communis* communi imperii ſtipendio ſuſtentatus, *tempore pacis* non adeſt, ſed demum hoſtili exexercitu cervicibus vicinorum incumbente jam a Statibus *plerisque* ſecundum proportionem *expeditionis Romanæ* conſcribi ſolet, idque *ſatis lente*, ob *laxum nexum* imperii, & conſcriptis *ſtipendia* aliaque *requiſita Bellica* haud raro *deficiunt*. Hinc prudenter olim Ratisbonnæ, hortatu *Electoris Hanoverani*, utpote ſupremi *Exercitus imperii ad Rhenum* Ducis, de *Ærario Militiæ imperialis* reſtaurando, conſultabatur, vid. *Acta Comitialia anni 1707. & 1708.* Et cum ſolennis *querela Comitialis* ſit; daß die hohen Stände gern bewilligen und hernach nichts geben, Grundſ. *P.3.c.8.§.3.* Per *Capit. Joſeph. art.17.* Imperatori injunctum eſt, quod *nemini* ſein Antheil contribution *remittere* aut *minuere* debeat, quod tamen præſenti bello, ratione

remiſſionis des Schwediſchen Reichs-Contingents factum eſt vi *Transactionis Alt-Ranſtadenſis inter Imp. & Reg. Svec.* haud dubie ex ſtatu rerum præſentium & gravibus de cauſis.

4. Nonne conſilia ſuper milite Germaniæ perpetuo ſuppeditata ſunt?

Reſp. Varii varia ſuppeditarunt, quæ utinam tam feliciter in *praxi*, quam in *charta* apparerent! Pertinet huc Almers *Miles Germaniæ perpetuus*, add. Textor *de Rat. Stat. Germ. c. 16.* Sic *Coloniæ* ſerio 1695. de *perpetuo Germaniæ exercitu* deliberatum eſt, & ab iſto tempore res iſthæc fervere cœpit. *Eodem* anno prodiit *conſultatio* a celeberr. Kulpiſio eum in finem inſtituta. Hujus *ratiociniis* ſemet oppoſuit in negotiis Germaniæ publicis verſatiſſimus Dn. de Limbach, Legatus Hanoveranus in Comitiis Imperii, qui difficultates circa inſtitutum perpetui Exercitus Imperii, pro præſenti Germaniæ Statu, politice ſatis repræſentavit; Kulpiſius *reſpondit* & nodos hoſce ſolvere annixus eſt, add. Dn. Strykii *Biga Diſſertationum de Militia Imperii, & Militia Circulari.*

5. Quænam ſunt concomitantia Belli Imperii neceſſaria?

Reſp. (1) *Tranſitus militum* per Statuum, maxime bello vicinorum, *territoria;* qui innoxius eſſe debet. Jura circa illum excuſſa ſunt a Dn. Strykio *Diſſ. de Tranſitu Militari.*

(2) *Hoſpitationes Militum* & *Hyberna.*

(3) *Munimentorum* pro caſu neceſſitatis & opor-

portunitate *ſitus* ad hoſti nocendum, etiam in *Statuum* (ſcil. infirmiorum) *territoriis extructio*, ad quod in *I. P. art. 8.* §. 2. ConſenſusComitialis requiritur; puto, ſi non periculum in mora.

(4) *Munimentorum* hoſti vicinorum & in Statuum infirmiorum territoriis ſitorum *occupatio*, *valido præſidio* & aliis requiſitis belli neceſſariis. Cujus rei exemplum in *Caſtro S. Goari* ſive *Reinfelſæ* præſenti bello præſidio Imperii, ob infirmitatem ſui principis, munito.

(5) *Dominium emin...*, neceſſitate ita exigente ab imperio in Statuum territoriis pro ſalute communi exercendum, ſub limitibus tamen *Juris Natur.* Bœcl. *Not. Imp. l. 18. c. 1.*

6. *Quando Executio Status ipſos ſpectat?*

Reſp. Vel (1) ex Decretis *Comitialibus*, vel (2) *Particularibus* collegii, v. c. Conventus Electoralis vel (3) *circularibus*. Si *prius*, Banno & Bello contra Status concluſis totius imperii præfracte ſemet opponentes proceditur, ceu præſenti ſeculo id factum contra *Bavarum* & *Colonienſem*, Gallo, pro *hoſte imperii declarato*, adhærentes. *Poſterioribus duobus* modis violentis compulſionibus ad implenda conventa praxis raro reſpondet. vid. Limn. *add. ad L. 1. c. 7. n. 32.*

7. *Quando executio contra ſubditos Statuum dirigitur?*

Reſp. Si in Comitiis quædam diſponuntur, quæ non Statum *publicum* concernunt, ſed Statuum *ſubditos*, v. c. ſi capita quædam juſtitiæ re-

formentur, *avocatoria* publicentur, *Calendarium* reformetur. conf. *Diſſ. noſtr. de Jure XI. dierum Calendario ſubtractarum*. Executionem enim horum & ſimilium decretorum ſtatus ipſi in ſuis ditionibus ſuſcipiunt.

LIBER V.

CAPUT I.

DE JUDICIIS GERMANIÆ PUBLICIS.

GENERALIA AXIOMATA.

1. Controverſiæ Statuum magni momenti olim in Comitiis compoſitæ ſunt ex æquo & bono.
2. Jus Principum Fürſten-Recht non extendendum eſt ad cognitionem imperatoriam *ſuper ſucceſſione feudali*, ſed ad *declarationem in bannum*, quæ a *ſolo* imperatore haud pendet.
3. Principes & Status Evangelici in cauſis ſic dictis *ſpiritualibus* & matrimonialibus *nullum forum imperii* agnoſcunt.
4. Principes & Status intuitu *perſonæ inviolabiles* nec *pœnis humanis* ſubjectæ ſunt.

Quæſtio I.

Qualis olim Status Judiciorum in Germania ſub Carolingis & ſucceſſoribus?

Reſp. Familiæ Regiæ cum inter ſe, tum adverſus alios proceres, controverſiæ in *concilio* *pro-*

procerum & *populi* diſceptabantur, ut & cauſæ procerum *magni* momenti, *minores* per *Regem* aut ejus *miſſos*. Docte ex monumentis hiſtoricis medii ævi hoc perſequitur Conring. *Diſſ. de Judiciis Germaniæ*, cujus Epitomator Monzambanus eſt *de Stat. Imp. c. 5. §. 14.* Uterque vero de *forma* proceſſus vetuſti ſilet.

2. *Jus principum*, das Fürſten-Recht, *nonne ex antiquo Judiciorum Statu derivandum eſt?*

Reſp. Ita exiſtimat Conring. *all. l. a §. 44. usque 52.* Quoniam autem res valde intricata eſt, dum nonnulli id pro *figmento* habent, vid. Monz. *l. c.* alii *uſum* ejus *modernum* adhuc urgeant, quos in *utramque partem* larga manu allegat Dn. Schweder. *P. ſpec. ſect. I. c. 9. §. 12.* puto caſus probe diſtinguendos eſſe. Si cauſæ ipſos principes eorumque *vitam*, *honorem*, *bona* ſpectarunt, imperator judicavit per *immemorialem obſeruantiam una cum Con-Statibus.* Ipſe *Fridericus II. in Conſtit.* ap. Lundorp. *Tom. 1. Act. Publ. c. 5.* ita hoc exprimit: Wo es aber Fürſten an ihr Leib, an ihr Ehr oder Recht gehet, da wollen Wir Selber richten auf die Weiſe, wie es im H. Röm. Reich von alten Zeiten Herkommens, h. e. in Comitiis conſenſu Statuum; ſcilicet quando judicabatur, an Princeps vel Status *Banno* feriendus, territorio exuendus ſit; Quoniam vero longis protelationibus inde anſa ſuppeditaretur, poſtea placuit in *Capit. Ferdin. I. I. art. 3.* Declarationem Status in Bannum ad *Con-*

ſenſum Eelectorum, welche ſich des Werckes nicht theilhafftig gemacht, reſtringere. Verum cum reliqui Status acquieſcere illa re nollent, in *Inſtr. P. art. 8. §. habeantur* conſtitutum eſt, ut in proximis Comitiis *communi Statuum conſenſu, de modo & ordine in Bannum declarandi* ſtatueretur Quoniam autem illud nondum factum erat in memoratis Comitiis, in *Capit. Leop. & Joſeph. art. 13.* ſaltem *provisionaliter* plenius id repetitum eſt.

3. *Ergo Cognitio ſuper ſucceſſione Feudorum illuſtrium ad jus principum non pertinet?*

Reſp. Illa ſoli Imperatori reſervata eſt per claros textus *Ordin. Vormat. d. 1521.* §. Ob auch Sachen *ꝛc* *ibi*: Einem Theil gånglich und endlich abgeſprochen werden ſollen. *Ord. Cameral P. 2. tit. 7. Ord. Jud. Aul. tit. 2. ibi*: hohe und niedere Lehen. Sic noviſſime 1697. in cauſa Succeſſionis G. illud non in quæſtione erat, quod Imperator *ſolus* ſententiam tuliſſet, hoc enim a Partibus Directorum & Ducis Circuli in dubium non vocabatur; ſed quod in eorum præjudicium propria autoritate *executionem ſententiæ* ſuſcepiſſet Commiſſarius vel Legatus Cæſareus. vid. *ſupra L. 4. c. 4. qu. 10.*

4. *Nonne vero conſultum imperatori eſſet, cum Statuum potentiorum maxime iſtius Circuli, ubi controverſia viget, præſcitu rem decidere?*

Reſp. Liberum hoc relinquitur Imperatori in cauſis *majoribus*, & unde *tumultus* in Imperio

rio timeri poſſent, quorundam utriusque Religionis Electorum & principum ſententias & vota requirere, per verba *Inſtr. P. art.5. §. quoad proceſſum.* Hinc non confundendæ hoc paſſu ſunt regulæ *prudentiæ* cum regulis *juris.*

5. Cauſæ principum proteſtantium matrimoniales ad quod Judicium Imperii pertinent?

Reſp. Olim Imperatores judicaſſe, exemplo *Ludovici IV.* inter *Johannem* Regis Bohemiæ Filium & *Margaretham* Ducisſam Carinthiæ ob impotentiam pronunciantis ap. Goldaſt. *Mon. S. R. I. tom.2. p. 1383.* probari poſſe, videtur. conf. Textor ad *Receſſ. Imp. noviſſ. Diſſ. 2. §. 74.* Verum dum ob principia pontificia Imperatores noſtri hoc munus declinant, & *in Inſtr. P. art.5. §. 28.* Pontificis & Epiſcoporum id ſibi arrogantium poteſtas ſuſpenſa, Principes & Status Proteſtantes in his cauſis nullum agnoſcunt judicem, ſed in propriis *conſiſtoriis* has controverſias *decidendas*, vel potius mentem ſuam *declarandam*, curare poſſunt. conf. Myler. ab Ehrenb. *Gamologiæ Perſonar. illuſtr. c. 8.* add. Dn. Ludovici *Diſſ. de Foro Principum Proteſt. in Matrimonial.*

6. Nonne vero conſultum eſſet, ut Commune Conſiſtorium Statuum Proteſtantium erigeretur?

Reſp. Ita videtur exiſtimare Dn. Schweder. *Diſſ. de Foro illuſtr. §. 43.* erectionem hujus conſiſtorii vel ſacri Tribunalis pluribus exponens & delineans. Verum conſilia ejusmodi *impra-*

cti-

Ethicabilia eſſe, & ad *Non-Entia Politica* pertinere, demonſtrat Dn. Stryk. *Diſſ. de Foro Princ. & Privat. Commun. c. 2 n. 99 104.*

7. *Cauſæ ſtatuum criminales ubi dijudicantur?*

Reſp. In cauſa *fractæ Pacis Publicæ*, & perduellionis, Camera cognoſcit per *Ord. Cam. P. 2. tit. 9. §.* ſo iemand. quod intelligendum puto, ubi querela a Conſtatu læſo ad Cameram delata, & ejus decreris nulla paritio facta. Ceterum cauſæ *ſtatus publici* v. c. præſente Bello, *Bavarica & Colonienſis* & ſimilis momenti juxta tradita *qu. præced. 3.* dijudicanda veniunt. Et hoc intelligendum, ſi *qua principes* peccant, ſtatum publicum evertendo; Si vero *ut homines* peccata committant v. c. adulteria, homicidia, in his terris nullum agnoſcunt Judicem punientem. vid. *Diſſ. de Mut. A. Bullæ §. 10.* Olim quidem *canes portare* aut alias ignominioſas pœnas pati moris fuit; ſed hoc ad *barbariem ævi* illius pertinet, ubi Reges oculis privare & *Monaſterio* intrudere invaluerat. Confer pulchrum Diſcurſum Cæſarini Fürſtneri *de Suprematu p. 30. I. P. Prud. Diſſ. XI. §. 17. 18.* vid. ſupra *L. III. cap. 3. qu. 18.*

CAPUT

CAPUT II.

DE

JUDICIO AUSTREGARIO.

GENERALIA AXIOM.

1. Inter Status *primæ Inſtantiæ* Forum *Auſtregæ* ſunt.
2. Ab his ad judicia *ſuprema*, *Cameram* & *Judicium Aulicum*, recurritur.
3. *Subditi* cum *Principe ſuo* litigantes *certis* caſibus *Foro Auſtregario* gaudent.

Quæſtio I.
Principes & Status inter ſe litigantes quodnam forum habent?

Reſp. Forum *primæ inſtantiæ* inter ipſos ſunt *Auſtregæ:* quæ vel *conventionales*, bedingte Austräge, Gewillkühre, Decher *ad Blum. p.205.* vel *Legales*. Si priores adſint, *hæ* ceſſant. Dn. Fabric. *ad Mynſ. Cent. 1. obſ. 89.*

2. *Quid ſunt Auſtregæ?*

Reſp. *Judices, a Statibus, Principum conditionem habentibus, electi juxta Leges fundamentales, ut controverſiæ nonnullæ in prima inſtantia finiantur.*

3. *Num promiſcue uno eodemque modo Auſtregis legalibus fruuntur omnes Status?*

Reſp. Neg. Nam in *Ord. Cam. P. 2. T. 2.* diſtinguuntur in *primi* & *ſecundi ordinis*. Ad *illum* pertinent *Electores*, *principes* & *principali dignitate* fulgentes, Fürſtenmäſſige; Ad *hunc* ſimplices *Prælati*, *Comites*, *Barones* & Nobiles *immediati*. *Primæ* Claſſis perſonæ *rei partes* ſuſtinentes contra *cujuscunque conditionis* Actores,

res, hoc ſuo primæ inſtantiæ foro privilegiato fruuntur. *Ord. Cam. l. 4. §. f.* *Secundæ* Claſſis perſonæ, quando a *primi ordinis* Actore aut a *ſui ordinis* perſonis in jus vocantur, Auſtregario foro gaudent. *O. C. P. 2. tit. 3. & 5.* Si vero *hi* a *mediato* Cive, aut *civitate imperiali*, quæ Jus Auſtregarum non habet, conveniantur, hoc coram ſupremis Imperii Judiciis, *Camera* & *Judicio Aulico*, fieri debet.

4. Quid ſi Civitas municipalis ſuum principem convenire velit?

Rep. Si Princeps ſit *reus*, fit hoc coram Auſtregis; ſi vero ille *Actor* ſit, coram Camera, vel Dicaſterio Principis, obſequii remiſſione facta Conſiliariis, wenn Sie vorhero Ihrer Pflicht erlaſſen werden, ſemet ſiſtere neceſſe habent.

5. Num ciuitates Imperiales etiam fruuntur hoc jure & Foro?

Reſp. Ipſæ convenire principes *primi Ordinis* coram hoc foro poſſunt. Non autem conveniuntur *paſſive*, niſi ſpeciali privilegio munitæ, quod de nonnullis teſtatur Vitriar. *I. P. L. 4. c. 5. §. 7.*

6. Quænam cauſæ pertinent ad hoc forum?

Reſp. Cauſæ *ciuiles* & ſuper quibus poſtea ad ſuprema judicia provocare fas eſt. Dn. Stryk. *all. l. §. 33.* Schwed. *c. l. §. 12. 15.*

7. Num etiam Apannagiati coram hoc foro conveniendi?

Reſp. *His*, ut & principum Regnantium *Uxoribus* & *liberis* propterea non videtur poſſe

tri-

tribui, quia ſuperioritati T. principis regnantis *conditione priuata* ſubſint.

8. Quid ſi litigantes ſententia Auſtregaria non ſint contenti?

Reſp. Tunc ſententia ad *Cameram* vel *Judicium Aulicum* devolvi poteſt. Schwed. *c.l. §. 16.*

CAPUT III.
DE JUDICIO CAMERALI IMPERII.

AXIOMATA GENERALIA.

1. Camera *juriſdictionem* ſuam non habet a *ſolo Cæſare*, ſed ſimul *Imperio* & communi ex placito conſtituta eſt.
2. Hinc non præjudicat Statuum Superioritati T. in ſuis provinciis.
3. Lentus in illa procedendi modus, & Executiones ut plurimum deficiunt.
4. *Subditi Electorum* non appellant ad Cameram.

Quæſtio 1.

Quid eſt Judicium Camerale?

Reſp. *Supremum in Imperio Tribunal, Imperatoris & Statuum conſenſu erectum, vt jus inter Status eorumque ſubditos juxta præſcriptum modum reddat.*

2. *Quando inſtitutum hoc judicium eſt?*

Reſp. In Comitiis *Vormatienſibus 1495*. imperatore Maximiliano I. ſublatis diffidationibus Statuum & reducta *pace profana*. vid. *ſupra L. 1. c. 6. qu. 2. 3.*

3. Num

remiſſionis des Schwediſchen Reichs-Contingents factum eſt vi *Tranſactionis Alt Ranſtadenſis inter Imp. & Reg. Svec.* haud dubie ex ſtatu rerum præſentium & gravibus de cauſis.

4. Nonne conſilia ſuper milite Germaniæ perpetuo ſuppeditata ſunt?

Reſp. Varii varia ſuppeditarunt, quæ utinem tam feliciter in *praxi*, quam in *charta* apparerent! Pertinet huc Almers *Miles Germaniæ perpetuus*, add. Textor *de Rat. Stat. Germ. c. 16.* Sic *Coloniæ* ſerio 1695. de *perpetuo Germaniæ exercitu* deliberatum eſt, & ab iſto tempore res iſthæc fervere cœpit. *Eodem* anno prodiit *conſultatio* a celeberr. Kulpiſio eum in finem inſtituta. Hujus *ratiociniis* ſemet oppoſuit in negotiis Germaniæ publicis verſatiſſimus Dn. de Limbach, Legatus Hanoveranus in Comitiis Imperii, qui difficultates circa inſtitutum perpetui Exercitus Imperii, pro præſenti Germaniæ Statu, politice ſatis repræſentavit; Kulpiſius *reſpondit* & nodos hoſce ſolvere annixus eſt, add. Dn. Strykii *Biga Diſſertationum de Militia Imperii, & Militia Circulari.*

5. Quænam ſunt concomitantia Belli Imperii neceſſaria?

Reſp. (1) *Tranſitus militum* per Statuum, maxime bello vicinorum, *territoria;* qui innoxius eſſe debet. Jura circa illum excuſſa ſunt a Dn. Strykio *Diſſ. de Tranſitu Militari.*

(2) *Hoſpitationes Militum* & *Hyberna.*

(3) *Munimentorum* pro caſu neceſſitatis & opor-

portunitate *ſitus* ad hoſti nocendum, etiam in *Statuum* (ſcil. infirmiorum) *territoriis extructio*, ad quod in *I. P. art. 8. §. 2.* ConſenſusComitialis requiritur; puto, ſi non periculum in mora.

(4) *Munimentorum* hoſti vicinorum & in Statuum infirmiorum territoriis ſitorum *occupatio*, *valido præſidio* & aliis requiſitis belli neceſſariis. Cujus rei exemplum in *Caſtro S. Goari* ſive *Reinfelſæ* præſenti bello præſidio Imperii, ob infirmitatem ſui principis, munito.

(5) *Dominium eminens*, neceſſitate ita exigente ab imperio in Statuum territoriis pro ſalute communi exercendum, ſub limitibus tamen *Juris Natur.* Bœcl. *Not. Imp. l. 18. c. 1.*

6. *Quando Executio Status ipſos ſpectat?*

Reſp. Vel (1) ex Decretis *Comitialibus*, vel (2) *Particularibus* collegii, v. c. Conventus Electoralis vel (3) *circularibus*. Si *prius*, Banno & Bello contra Status concluſis totius imperii præfracte ſemet opponentes proceditur, ceu præſenti ſeculo id factum contra *Bavarum* & *Colonienſem*, Gallo, pro *hoſte imperii declarato*, adhærentes. *Poſterioribus duobus* modis violentis compulſionibus ad implenda conventa praxis raro reſpondet. vid. Limn. *add. ad L. 1. c. 7. n. 32.*

7. *Quando executio contra ſubditos Statuum dirigitur?*

Reſp. Si in Comitiis quædam diſponuntur, quæ non Statum *publicum* concernunt, ſed Statuum *ſubditos*, v. c. ſi capita quædam juſtitiæ re-

formentur, *avocatoria* publicentur, *Calendarium* reformetur. conf. *Diſſ. noſtr. de Jure XI. dierumCalendario ſubtractarum.* Executionem enim horum & ſimilium decretorum ſtatus ipſi in ſuis ditionibus ſuſcipiunt.

LIBER V.

CAPUT I.

DE JUDICIIS GERMANIÆ PUBLICIS.

GENERALIA AXIOMATA.

1. Controverſiæ Statuum magni momenti olim in Comitiis compoſitæ ſunt ex æquo & bono.
2. Jus Principum Fürſten-Recht non extendendum eſt ad cognitionem imperatoriam *ſuper ſucceſſione feudali*, ſed ad *declarationem in bannum*, quæ a *ſolo* imperatore haud pendet.
3. Principes & Status Evangelici in cauſis ſic dictis *ſpiritualibus* & matrimonialibus *nullum forum imperii* agnoſcunt.
4. Principes & Status intuitu *perſonæ inviolabiles* nec *pœnis humanis* ſubjectæ ſunt.

Quæſtio I.

Qualis olim Status Judiciorum in Germania ſub Carolingis & ſucceſſoribus?

Reſp. Familiæ Regiæ cum inter ſe, tum adverſus alios proceres, controverſiæ in *concilio* *pro-*

procerum & *populi* diſceptabantur, ut & cauſæ procerum *magni* momenti, *minores* per *Regem* aut ejus *miſſos*. Docte ex monumentis hiſtoricis medii ævi hoc perſequitur Conring. *Diſſ. de Judiciis Germaniæ*, cujus Epitomator Monzambanus eſt *de Stat. Imp. c. 5. §. 14.* Uterque vero de *forma* proceſſus vetuſti ſilet.

2. Jus principum, das Fürſten-Recht, *nonne ex antiquo Judiciorum Statu derivandum eſt?*

Reſp. Ita exiſtimat Conring. *all. l. a §. 44. usque 52.* Quoniam autem res valde intricata eſt, dum nonnulli id pro *figmento* habent, vid. Monz. *l. c.* alii *uſum* ejus *modernum* adhuc urgeant, quos in *utramque partem* larga manu allegat Dn. Schweder. *P. ſpec. ſect. I. c. 9. ſ. 12.* puto caſus probe diſtinguendos eſſe. Si cauſæ ipſos principes eorumque *vitam*, *honorem*, *bona* ſpectarunt, imperator judicavit per *immemorialem obſeruantiam una cum Con-Statibus.* Ipſe *Fridericus II. in Conſtit.* ap. Lundorp. *Tom. 1. Act. Publ. c. 5.* ita hoc exprimit: Wo es aber Fürſten an ihr Leib an ihr Ehr oder Recht gehet, da wollen Wir Selber richten auf die Weiſe, wie es im H. Röm. Reich von alten Zeiten Herkommens, h. e. in Comitiis conſenſu Statuum; ſcilicet quando judicabatur, an Princeps vel Status *Banno* feriendus, territorio exuendus ſit; Quoniam vero longis protelationibus inde anſa ſuppeditaretur, poſtea placuit in *Capit. Ferdin. I. I. art. 3.* Declarationem Status in Bannum ad *Con-*

ſenſum Eelectorum, welche ſich des Wercks nicht theilhafftig gemacht, reſtringere. Verum cum reliqui Status acquieſcere illa re nollent, in *Inſtr. P. art. 8. §. habeantur* conſtitutum eſt, ut in proximis Comitiis *communi Statuum conſenſu, de modo & ordine in Bannum declarandi* ſtatueretur. Quoniam autem illud nondum factum erat in memoratis Comitiis, in *Capit. Leop. & Joſeph. art 13.* ſaltem *proviſionaliter* plenius id repetitum eſt.

3. *Ergo Cognitio ſuper ſucceſſione Feudorum illuſtrium ad jus principum non pertinet?*

Reſp. Illa ſoli Imperatori reſervata eſt per claros textus *Ordin. Vormat. d. 1521.* §. Ob auch Sachen ꝛc *ibi:* Einem Theil gänglich und endlich abgeſprochen werden ſollen. *Ord. Cameral P. 2. tit. 7. Ord. Jud. Aul. tit. 2. ibi:* hohe und niedere Lehen. Sic noviſſime 1697. in cauſa Succeſſionis G. illud non in quæſtione erat, quod Imperator *ſolus* ſententiam tuliſſet, hoc enim a Partibus Directorum & Ducis Circuli in dubium non vocabatur; ſed quod in eorum præjudicium propria autoritate *executionem ſententiæ* ſuſcepiſſet Commiſſarius vel Legatus Cæſareus. vid. *ſupra L. 4. c. 4. qu. 10.*

4. *Nonne vero conſultum imperatori eſſet, cum Statuum potentiorum maxime iſtius Circuli, ubi controverſia viget, præſcitu rem decidere?*

Reſp. Liberum hoc relinquitur Imperatori in cauſis *majoribus*, & unde *tumultus* in Imperio

rio timeri poſſent, quorundam utriusque Religionis Electorum & principum ſententias & vota requirere, per verba *Inſtr. P. art.5. §. quoad proceſſum.* Hinc non confundendæ hoc paſſu ſunt regulæ *prudentiæ* cum regulis *juris*.

5. Cauſæ principum proteſtantium matrimoniales ad quod Judicium Imperii pertinent?

Reſp. Olim Imperatores judicaſſe, exemplo *Ludovici IV.* inter *Johannem* Regis Bohemiæ Filium & *Margaretham* Duciſſam Carinthiæ ob impotentiam pronunciantis ap. Goldaſt. *Mon. S. R. I. tom. 2. p. 1383.* probari poſſe, videtur. conf. Textor ad *Receſſ. Imp. noviſſ. Diſſ. 2. §. 74.* Verum dum ob principia pontificia Imperatores noſtri hoc munus declinant, & *in Inſtr. P. art. 5. §. 28.* Pontificis & Epiſcoporum id ſibi arrogantium poteſtas ſuſpenſa, Principes & Status Proteſtantes in his cauſis nullum agnoſcunt judicem, ſed in propriis *conſiſtoriis* has controverſias *decidendas*, vel potius mentem ſuam *declarandam*, curare poſſunt. conf. Myler. ab Ehrenb. *Gamologiæ Perſonar. illuſtr. c. 8.* add. Dn. Ludovici *Diſſ. de Foro Principum Proteſt. in Matrimonial.*

6. Nonne vero conſultum eſſet, ut Commune Conſiſtorium Statuum Proteſtantium erigeretur?

Reſp. Ita videtur exiſtimare Dn. Schweder. *Diſſ. de Foro illuſtr. §. 43.* erectionem hujus conſiſtorii vel ſacri Tribunalis pluribus exponens & delineans. Verum conſilia ejusmodi *impra-*

cti-

ſticabilia eſſe, & ad *Non-Entia Politica* pertinere, demonſtrat Dn. Stryk. *Diſſ. de ForoPrinc. & Privat. Commun.* c. 2 n. 99 104.

7. *Cauſæ ſtatuum criminales ubi dijudicantur?*

Reſp. In cauſa *fractæ Pacis Publicæ*, & perduellionis, Camera cognoſcit per *Ord. Cam. P. 2. tit. 9.* §. ſo iemand. quod intelligendum puto, ubi querela a Conſtatu læſo ad Cameram delata, & ejus decretis nulla paritio facta. Ceterum cauſæ *ſtatus publici* v. c. præſente Bello, *Bavarica* & *Colonienſis* & ſimilis momenti juxta tradita *qu. præced. 3.* dijudicanda veniunt. Et hoc intelligendum, ſi *qua principes* peccant, ſtatum publicum evertendo; Si vero *ut homines* peccata committant v. c. adulteria, homicidia, in his terris nullum agnoſcunt Judicem punientem. vid. *Diſſ. de Mut. A. Bullæ* §. 10. Olim quidem *canes portare* aut alias ignominioſas pœnas pati moris fuit; ſed hoc ad *barbariem ævi* illius pertinet, ubi Reges oculis privare & *Monaſterio* intrudere invaluerat. Confer pulchrum Diſcurſum Cæſarini Fürſtneri *de Suprematu p. 30. I. P. Prud. Diſſ. XI.* §. 17. 18. vid. ſupra *L. III. cap. 3. qu. 18.*

CAPUT

CAPUT II.
DE
JUDICIO AUSTREGARIO.

GENERALIA AXIOM.

1. Inter Status *primæ Inſtantiæ* Forum *Auſtregæ* ſunt.
2. Ab his ad judicia *ſuprema*, *Cameram* & *Judicium Aulicum*, recurritur.
3. *Subditi* cum *Principe ſuo* litigantes *certis* caſibus *Foro Auſtregario* gaudent.

Quæſtio I.

Principes & Status inter ſe litigantes quodnam forum habent?

Reſp. Forum *primæ inſtantiæ* inter ipſos ſunt *Auſtregæ:* quæ vel *conventionales*, bedingte Austräge, Gewillkühre, Decher *ad Blum. p.205.* vel *Legales*. Si priores adſint, *hæ* ceſſant. Dn. Fabric. *ad Mynſ. Cent. 1. obſ. 89.*

2. *Quid ſunt Auſtregæ?*

Reſp. *Judices, a Statibus, Principum conditionem habentibus, electi juxta Leges fundamentales, ut controverſiæ nonnullæ in prima inſtantia finiantur.*

3. *Num promiſcue uno eodemque modo Auſtregis legalibus fruuntur omnes Status?*

Reſp. Neg. Nam in *Ord. Cam. P. 2. T. 2.* diſtinguuntur in *primi* & *ſecundi ordinis*. Ad *illum* pertinent *Electores*, *principes* & *principali dignitate* fulgentes, Fürſtenmäßige; Ad *hunc* ſimplices *Prælati*, *Comites*, *Barones* & Nobiles *immediati*. *Primæ* Claſſis perſonæ *rei partes* ſuſtinentes contra *cujuscunque conditionis* Actores,

tribui, quia ſuperioritati T. principis regnantis *conditione priuata* ſubſint.

8. Quid ſi litigantes ſententia Auſtregaria non ſint contenti?

Reſp. Tunc ſententia ad *Cameram* vel *Judicium Aulicum* devolvi poteſt. Schwed. *c.l.* §. *16*.

CAPUT III.
DE
JUDICIO CAMERALI IMPERII.

AXIOMATA GENERALIA.

1. Camera *jurisdictionem* ſuam non habet a *ſolo Cæſare*, ſed ſimul *Imperio* & communi ex placito conſtituta eſt.
2. Hinc non præjudicat Statuum Superioritati T. in ſuis provinciis.
3. Lentus in illa procedendi modus, & Executiones ut plurimum deficiunt.
4. *Subditi Electorum* non appellant ad Cameram.

Quæſtio 1.
Quid eſt Judicium Camerale?

Reſp. *Supremum in Imperio Tribunal, Imperatoris & Statuum conſenſu erectum, vt jus inter Status eorumque ſubditos juxta præſcriptum modum reddat.*

2. *Quando inſtitutum hoc judicium eſt?*

Reſp. In Comitiis *Vormatienſibus 1495.* imperatore Maximiliano I. ſublatis diffidationibus Statuum & reduct a *pace profana*. vid. *ſupra L. 1. c. 6. qu. 2. 3.*

3. Num

3. *Num Camera a ſolo Imperatore dependet?*

Reſp. Non: Sed etiam ſtatibus: Hinc in *Receſſ. d. 1654.* vocatur: Unſer und des H. Röm. Reichs Cammer-Gericht & clarius adhuc *ſ. 156.* Als welches uns ſampt Churfürſten und Ständen *repræſentiret*; & in Replica trium Electorum apud Lundorp. *Act. publ. tom. 2. L. 1. tr. 4.* Daß das Cammer-Gericht und Beyſitzer ihre Jurisdiction von Käyſerl. Majeſt. auch Chur-Fürſten, Fürſten und Ständen des H. Röm. Reichs haben.

4. *Sed tamen ſententiæ ſolius Cæſaris nomine promulgantur?*

Reſp. Ita eſt, & Imperator ipſe ſibi tanquam *Archi-Duci* aliquid mandare hoc ſtilo ſolet. Exemplum tempore Caroli V. Wir Carl, Römiſcher Käyſer, entbiethen dir Carl Ertz-Hertzog von Oeſterreich, occurrit apud Limn. *tom. 1. L. 3. c. 9. n. 39.* Verum inde perperam colligit Schüz. *I. P. Vol. 2. Diſp. 2. th. 6. l. D.* Cameram ſuam juriſdictionem *ſoli Cæſari* debere. Kulpiſio *ad Monzamban. c. 5. §. 20.* ſatisfactum *in I. P. Prud. Diſſ. XI. §. 20.*

5. *Ex quibus perſonis conſtat judicium Camerale?*

Reſp. Primaria perſona eſt *Judex Cameræ*, qui *natione* debet eſſe *Germanus*; *conditione Princeps*, *Comes*, vel *Baro*, ab Imperatore conſtituitur ex utraque religione, cum ſalario 4400. *imperialium* per Receſſ. Imp. *d. 1654. §. 11.* Deinde ſequuntur *IV. Præſides*, duo *Catholici*, duo *Evan-*

Evangelici, juxta *Inſtr. P. Art. 5.* §. *23.* qui conſtituuntur itidem ab Imperatore. Salarium ſingulorum eſt *1371. Imperialium* per eundem *Rec. I.* § *11. AſſeſſorumCameralium* juxta *Inſtr. P. art. 5.* ∫. *23. Quinquaginta* eſſe debent *26. Catholici* & *24. Evangelici.*

6. *Num hic numerus Aſſeſſorum Cameræ completus eſt?*

Reſp. Ultra *Septemdecim* nunquam viſi ſunt, teſte Blumio *Proc. Cam. tit. 14. n. 5.* Imo ultra *novem* ſub init. hujus ſeculi in Camera non fuiſſe Aſſeſſores, ob *deficientia Salaria*, docet Thucel. *in Elect. Jur. Publ. curioſ. c. 10.* Et *certis* de *cauſis* ab aliquo jam tempore poteſtas judiciaria plane *ſuſpenſa* eſt, usque ad *reviſionis commiſſionem*, quæ ex indole ejusmodi negotiorum haud dubie lente procedet, de quo Acta *publ. Præſentium Comitiorum Ratisbonenſium conſulenda ſunt.* *)

*) Cauſas haſce vide ſis in *Hornii Jurispubl. prud.* c. 55. §. 10. ſub fin. Exitum huius Viſitationis Cameræ Imp. ap. eund. c. 47. §. 6. in not.

7. *Unde ſalaria Aſſeſſorum & Officialium Cameræ petuntur?*

Reſp. A Statibus juxta determinationem *matriculæ cameralis*, vocantur die Cammer-Zieler. vid. *Receſſ. noviſſ.* §. *9.* Quæ matricula cum reliquis Imperii haud confundenda eſt, cum *ſpecialem uſum onerum cameralium* tantum habeat. vid. *Præfatio matriculæ Reviſæ, quæ extat in fine* der Grundfeſte. Solennes vero ſunt que-

relæ

relæ Cameralium de *ſolutionis defectu.* conf. Kulp. *ad Monzamb. c. 5. §. 20.* & inde ſordium judicialium ſuſpiciones aliique *defectus hujus tribunalis* a Monzambano ſubinde notati ſatis ſatyrice *c. 5. §. 20.*

8. Quænam Cauſæ in Camera deciduntur?

Reſp. Tam cauſæ Principum & Statuum *inter ſe*, exceptis tamen *ſpiritualibus*, *matrimonialibus* & *feudalibus*; quam eorum *ſubditorum* lites civiles, quod ex lectione *Ordinationis Cameralis* plenius hauritur.

9. Num executio ſententiarum, maxime inter potentiores ſtatus latarum, prompta eſt?

Reſp. De hac multa diſpoſita leguntur in *ordinatione camerali.* Teſte tamen Monzamb. c. l. & ſuffragante experientia, Status, qui propriæ confidunt Potentiæ, ſusque deque habere ſolent, quæ Camera pronunciat. Hinc de efficaciori modo exequendi præteritis & præſentibus comitiis ſæpius deliberatum eſt, ſed non optato eventu, more rerum Comitialium iſtius genii & naturæ. conf. Kulp. *ad Monz. c. l. §. 22.*

10. Num Subditis promiſcue a Dicaſteriis Statuum appellare ad Cameram fas eſt?

Reſp. Neg. Nam *Electores* per *A. Bullam tit. 11.* fruuntur *privilegio de non appellando.* Hinc *ſubditi Electoratuum* plane ad ſuprema Tribunalia appellare nequeunt. Bene vero ſubditi aliarum Provinciarum, licet illæ Electori ſubſint. Idem dicendum de *Subditis Ducum Saxo-*

niæ,

niæ. vid. Knichen *de Saxon. non provocandi jure & privil.* Carpz. *de jure & priuileg Ducum Sax. de non appell.* Reliquorum Statuum ſubditi in *cauſis civilibus certæ ſummæ* tantum appellare poſſunt.

11. Quænam ſumma illa appellabilis eſt?

Reſp. *Variat* in Statuum Territoriis pro conditione privilegiorum deſuper obtentorum ampliori vel reſtrictiori. Recenſentur illæ paſſim a Cameraliſtis. conf. Blum. *Proceſſ Cameral. tit. 47.* Sic in ſpecie ſubditis Provinciarum Imperii Sereniſſ. *Regis Boruſſiæ* non licet appellare, niſi ad *ſupremum Tribunal Appellationis Berolinenſe*, quando cauſa non ſuperat valorem 2500. *Aureorum*, Gold-Gülden; & ſuper *Poſſeſſorio* nunquam ad ſuprema Imperii judicia.

12. Si ſententia ſemel lata in Camera, nonne licet ulterius appellare?

Reſp. Neg. interim tamen *Remedium Reviſionis* ſupereſt *R. Imp. d 1654 § 123.* Si ſcilicet cauſa non ſit infra *2000 thaleros* non computatis *uſuris d. Rec. 127.* & Reviſionem petens in caſum *ſuccumbentiæ* certam ſummam deponat. *ib. §. 126.* Hoc caſu Supplicatio dirigitur ad *Electorem Moguntinum*. Quæ *fatalia* & reliqua obſervanda vide apud Dn. Stryk. *Intr. ad Prax. For. c. 23. §. 31.* Blum. *Proc. Cam. tit. 79. n. 14. ſeq.*

13. In quo loco Judicium Camerale viget?

Reſp. Ab *initio* Francofurti ad Mœnum fuit. In *Comitiis Auguſtanis 1530. Spiram* commigrare juſſum eſt. Inde de *transferendo illo* a

tempore *Pacis Weſtphalicæ*, ſæpius conſultatum ſed more ſolito, nihil concluſum, aut effectum eſt, donec præterito Bello Gallico 1680. *ſedem ſuam mutare* cogeretur, civitate Spirenſi *aratrum* fere paſſa. Turbatis inde rebus, demum 1693. ſententiæ judiciales *Wetzlariæ* promulgari cœperunt, usque demum ab aliquot annis *juriſdictio ejus* plane *ſuſpenſa eſt*. conf. ſupr. qu. 6. h. c.

14. *Sed num hoc cum Principum & Statuum Superioritate & ſplendore conciliari poteſt, quod ipſi & eorum ſubditi Judiciis Imperii ſubſint?*

Reſp. Hoc nil derogat ipſorum ſummis juribus, quia ex communi *Conventione* hoc placuit. Sic *Fœdus Amphictyonicum* univerſæ Græciæ in publicis cauſis unum Tribunal conſtituebat, haud quicquam delibata ſingularum Rerumpublicarum poteſtate ſumma. Imo nullum fere Regnum Europæ eſt, in quo Imperantes non ſemet ſubjiciunt in certis cauſis cognitioni propriorum Judiciorum, ſcilicet non coacte ſed ſponte. Exempla vide ap. Dn. Stryk. *Diſſ. de Foro Principum & Privatorum communi cap. 1.*

CAPUT IV.
DE
JUDICIO AULICO IMPERAT.

AXIOMATA GENERALIA.

1. Alterum ſupremum Imperii Tribunal *juditium Aulicum Viennenſe* eſt, habens cum *Camera concurrentem juriſdictionem*.

2. Hacte-

2. Hactenus a *ſolis* Cæſaribus *forma procedendi* conſtitutio *Aſſeſſorum* & alia pependerunt Statuum vero *debitam vigilantiam* circa illa concurrendi ſtudia partium corruperunt.
3. *Aliquot proteſtantes* Aſſeſſores in illud aſſumpti, ad *aliqualiter* ſatisfaciendum eorum *querelis*.
4. Contra Sententias hujus Judicii Remedium Supplicationis ad imperatorem ſupereſt.

Quæſtio 1.
Quodnam eſt alterum ſupremum judicium in Germania?

Reſp. Judicium Imperatoris Aulicum der Käyſerl. Reichs-Hoff-Rath, quod *concurrentem* cum Camera exercet *jurisdictionem Rec. Imp. de 1654. §. 166. Capit. Leop. art. 42.*

2. *A quo dependet hoc judicium?*

Reſp. Hactenus a *ſolo* Imperatore, cui etiam *juramento* unice adſtringuntur Aſſeſſores Judicii Aulici. Rhet. *I. P. l. 4. tit. 4.*

3. *Nonne etiam Moguntino jurant?*

Reſp. *Vice-Cancellarius* quidem ac *Protonotarii* & *Secretarii Cancellariæ Imperii* jurant ipſi, non vero *Aſſeſſores Judicii Aulici*, ceu erronee exiſtimat Burgold. *ad I. P. part. 2. Diſc. 20. n. 8.* conf. Kulpis *ad Monz. c. 5. §. 21.* Interim poteſt Elector Moguntinus, quoties ipſi opus videtur, *Viſitationem judicii Aulici* inſtituere. vid. *Inſtr. Pac. art. 5. §. 56.* Dolendum vero eſt, quod, quæ ſalutariter diſponuntur hoc loco exitu careant, nec vnquam viſitatio inſtituta fuerit. *confer judicioſam annotationem ad h. l. Aut. Medit. ad Inſtr. Pac. ſpec. 5. p. 782.*

K 2 4. Quis

4. Quis primus instituit hoc judicium?

Reſp. Quicquid ſit de ejus *vetuſtate*, a nonnullis aſſerta, in formam *judicii perpetui* illud redegit Ferdinandus I. promulgatis 1549. *ordinationis* cujusdam capitibus, quæ auxit *Maximilianus II.* innovavit *Matthias 1614.* Tandem correxit & ſupplevit nonnulla, ex Statuum deſiderio, Ferdinandus III. in Comitiis *Ratisbonenſibus 1654.*

5. Quæ cauſæ ſolennis reſtaurationis hujus judicii?

Reſp. Cauſas divinando aſſequi haud difficile reputat Monzamb. *de Stat. imp. c. 5. §. 21.* ſcilicet, ne camera ſola judicaret de controverſiis illuſtribus; quam conjecturam ex *invidioſa philoſophia Hippoliti a Lapide* petitam arguit commentator ejus Kulpiſius *c. l.* interim non omne odioſum eſt criterium falſitatis.

6. Num juxta Ordinationem Cameralem Proceſſus in hoc inſtituuntur?

Reſp. Quoad modum procedendi præſcripta eſt peculiaris Ordinatio a ſolo Cæſare compoſita, Statibus, ob diſcordantia ſuffragia ex ſtudiis partium orta libertati & dignitati ſuæ non ſufficienter proſpicientibus. conf. Grundſ. *P. 3. c. 5 p. 242.* & Schwed. *P. I. ſect. I. c. 12. §. 10.* add. quæ *in Inſtr. P. art. V. §. 55.* de judicio Aulico ſanciuntur.

7. Num, uti in Camera, numerus Aſſeſſorum non multum diſpar ex utraque religione?

Reſp. Numerus Aſſeſſorum ex ordinatione

ne Ferdinandi III. ad XVIII. computato *Præſide* adſtrictus. Tempore Maximiliani II. Rudolphi II. fuere *nonnulli* Aſſeſſorum Evangelicæ Religioni addicti; Sub Ferdinandis II. & III. autem *nulli*. Si *in Inſtr. P. art. V. §54.* numerus Evangelicorum Aſſeſſorum fuiſſet expreſſus, omnis difficultas ſublata foret. Interim ob querelas Principum & Statuum Evangelicorum, vid. Conring. *de Judic. Imp. Germ. th. 100* poſtea in *Ordin. Jud. Aul. tit. 1. §.* Wier wollen medela ſive *ſerio* ſive dicis gratia allata eſt. conf. Schwed. *c. l.* & quæ Dn. Thomaſ. ad Monz. *c. l. b.* notabiliter ex praxi hodierna affert. Si cum a. 1708. *Abbas Kempenſis* Præſes Judicii Aulici conſtitutus, & ipſe *Vice-Cancellarius imperii* Comes a *Schœnborn* coadjutor Bambergenſis factus eſſet, querulandi anſam Proteſtantibus Statibus præbuit hoc, ob communem cleri Pontificii inclinationem, ipſorum rebus quavis occaſione nocendi.

8. *Quomodo dividuntur Aſſeſſores?*

Reſp. In *duo Scamna* die Ritter- oder Cavallier- und Gelahrte Banck, quæ & alia circa ſchemata *ſeſſionum*, formam proceſſus & alia plena manu adduxit Dn. Uffenb. *Tr. de Judicio Aulico Imperii.*

9. *Num judicium Aulicum Imperatoris cum eiusdem conſilio intimo unum idemque?*

Reſp. Negando, quanquam teſte Monzambano d. l. cauſæ controverſæ, ubi aſpectus quidam politici intervenerint, ad Cæſarie conſilium

ſanctius transmitti ſoleant. Quod inſtitutum ſecundum Bœclerum *Not. Imp. l. 13. c. 4.* plenam *prudentiæ* laudem; ſed non *juſtitiæ impartialis*, habet, & expreſſe hoc prohibitum eſt *capitul. Leop. & Joſeph. art. 42.*

9. Quænam ſunt commoda & incommoda judicii Aulici præ Camera?

Reſp. Ad *illa* refertur, quod licet *ſumptuoſior* Proceſſus in Judicio Aulico ſit præ Camera; tamen *brevitate* hoc compenſetur, contra in camera nullus litium finis. Ad *hæc* vero *largitionum facilitatem* refert Monzamb c. l. quæ cenſura *magis decore* omiſſa fuiſſet, & haud dubie odioſa comparatio utriusque judicii in hoc puncto foret. Merentur interim attendi, quæ ab eodem ad ſuſpicionem hanc evellendam monentur circa *Referendarios. Ceterum circa hanc materiam lectu digna eſt Dn. Autoris medit. ad Inſt. Pac. mant ſſa 2. de Judicii Aulici Defectibus, nævis & vitiis, quæ ſpecimini 5. adjecta eſt.*

10. A ſententiis judicii Aulici nullumne remedium ſuſpenſivum ſupereſt?

Reſp. Remedium Supplicationis ad Cæſaream Majeſtatem. *Inſtr. P. art. V. ſ. 55.* cui effectus *ſuſpenſivus* etiam eſt tribuendus. Schwed. *c. l. §. 11.* Bukiſch. *ad Inſtr. P. art. 5. obſ. 170.*

CAPUT

CAPUT V.
DE
JUDICIO ROTHWILENSI.

AXIOMATA GENERALIA.

1. Hoc judicium exercet jurisdictionem ſaltem in *nonnullis circulis.*
2. Plerique Statuum tamen in illis *Exemtionis* privilegio gaudent
3. *Sublationem* ejus Status aliquando urſerunt, nec *rationes validæ* in contrarium ſunt.
4. *Præſenti Statu Cameræ* tamen melius retinetur.

Quæſtio I.

Num etiam Judicium Rothwilenſe ad ſuprema Imperii Tribunalia pertinet?

Reſp. Suo modo, quia autoritate Imperatoria jus dicit per nonnullos Germaniæ circulos. Vid. Mauritius *pec. Diſſ. de Judicio Rothwilenſi.*

2. Ad quos circulos pertinet?

Rep. Ad circulum *Auſtriacum, Rhenanum Franconicum* & *Svevicum.* Schwed. *ſect. 1. c. 14.*

3. Ex quibus Perſonis conſtat?

Reſp. Ex præſide, quæ dignitas hereditaria *Comitibus Sulcenſibus* eſt. Rhetz. *I. P. L. 4. t. 5. §. 5.* Vice-Præſidibus ac Aſſeſſoribus Schwed. c. l.

4. In quibus Cauſis fundatum eſt?

Reſp. In *civilibus* & *criminalibus*, exceptis tamen *feudalibus* & *ſpiritualibus.* Maurit. *c. l.* §. *7. 9.*

5. Sed nonne ab ejus Jurisdictione nonnulli exemti ſunt?

 Reſp.

Reſp. Plerique, ut nullus potentiorum Statuum ſit in memoratis circulis; qui non cum ſuis ſubditis privilegio Exemtionis gaudeat. Maurit. & Schwed. *c. II.* Imo ipſa civitas *Rothwila* ejus jurisdictioni non ſubeſt. Knipſchild. *de civit. Imper. l. 6. c. 33. n. 250.*

6. Num ab hoc judicio poteſt appellari?

Reſp. Ad Cameram vel Judicium Aulicum *Rec. Imp. d. 1570. §. 71. cap. Leop. art. 18.*

7. *Num aliquando abolitio hujus judicii deſiderata eſt?*

Reſp. Sæpius eius ſuppreſſionem Status urſerunt, nec præciſe rationes apud Mauritium *c. 4. §.* 6. pro ejus conſervatione allatæ, hoc evincunt, interim tamen præſenti Cameræ ſtatu morbido haud emendato, conſulto toleratur.

LIBER VI.

CAPUT I.

DE

JURE PUBLICO CEREMONIALI.

AXIOM. GENERAL.

1. Datur *Jus Ceremoniale*, quatenus per ceremonias *definite* certa honoris quantitas, perſonæ vel functioni cuipiam peculiaris, indigitatur.
2. Conſtituunt Ceremoniæ partem altioris diſciplinæ, quæ in Aulis per *Ceremoniarum Magiſtros* excolitur.

3. Ob

3. Ob diverſam dignitatem & poteſtatem Statuum, multæ hactenus inextricabiles controverſiæ ſuper Ceremoniis ortæ ſunt

4. In cæremonialibus inter principes multum defertur poſſeſſioni.

5. Hactenus completi Commentari de diffuſo & ſatis delicato *ceremoniarum apparatu* nondum editi, & quæ apud *Gregorium Leti*, *Paridem de Graſſis*, *Vicquefortium*, & in *Theatro Præcedentiæ* ac Ceremoniali *Brandenburgico* & *Palatino* leguntur, omnes partes nobiliſſimæ diſciplinæ non exhauriunt.

Quæſtio 1.

Num etiam Solennia & Ceremoniæ pertinent ad Ius Publicum?

Reſp. Quatenus *actus*, *geſtus* & *verba* circumſcribunt, ex genio præſentis ſeculi, *certam honoris quantitatem*, ad exprimendam Perſonæ *conditionem*, *valorem* & *functiones* v. c. titulus Excellentiæ Legatorum; Eatenus ſuo jure omnem apparatum Ceremoniarum ſibi vindicare poſſunt, quibus res ipſa, per Ceremonias indigitata, tanquam facultas moralis competit.

2. *Sed nonne Ceremoniæ ad decorum tantum & ſic jus imperfectum pertinent?*

Reſp. Quatenus extra adductam conſiderationem in vita civili, inter homines ejusdem conditionis, & ubi alter alterius poteſtati ſubjectus haud eſt, mutuæ humanitatis declarandæ cauſa vigent; ad decorum & jus imperfectum referri poſſunt: nec præciſe per ſe aliquid viii

iis adhæret. conf. Dn. Weiſſii *Diſſ. de Moralitate complimentorum.*

3. Num itaque peculiaris tractatio harum ceremoniarum in diſciplina Juris Publici ſuſcipienda?

Reſp. Novitium Juris Publici caput, de *ceremoniæ earumque juribus* inter deſiderata iſtius diſciplinæ refert Dn. Pauli *de princip. jur. p. 259.* Eadem philoſophia Kulpiſii de Jure Ceremoniali eſt in *tr. de jure Legat. c. 15.*

3. Ceremoniæ illæ an hodie magni æſtimantur?

Reſp. Licet homines ſcholaſtice eruditi ſolennia Ceremoniarum pro *inanibus rebus* habeant, attamen philoſophiam Ceremonialem hodie a delicatis & politis ingeniis Aularum ſummo ſtudio excoli, ſatis teſtantur honorifica magnarum Aularum Officia *Supremorum Magiſtrorum ceremonialium.* conf. Wagenſeil. *in eleg. libello directorii Aulici p. 5.* Adeo ut iſthæc in partem altioris diſciplinæ, & ad *ipſa negotia Regni ac Principum autoritatem transferantur*, & propterea non minus, quam ipſa rerum momenta, annotari publico ſtylo conſveverint, annotante jam hoc Bœclero *in Diſſ. de elegantia Moris Civilis & Aulici.*

4. Declinatio juris ceremonialis nullisne difficultatibus ſubjacet?

Reſp. Variis, dum magna pars ceremoniarum apparatus, in *perpetuam* unicamque *obſervan-*

uantiam nondum penitus ſubſedit; præterea principia regulandi illas *fluctuantia* apparent, & ob varia Artificia potentiorum Aularum, emolumenta ſua inde ſectantium, ſtudio intricata & perplexa redduntur. vid. Kulpiſ. *de jure legat. c. 15.*

5. Quomodo jus circa ceremonias intuitu juris publici diſpeſci poteſt?

Reſp. In ſolennia & *ceremonias legibus publicis* & *conventionibus ſtipulatas*; & illas, quæ Imperatori & ſtatibus, tanquam perſonis *illuſtribus* & *coimperantibus*, aut *Eorum vicem* ſuſtinentibus ex *uſu Seculi debentur.*

6. Quænam ſunt ceremoniæ legibus publicis injunctæ?

Reſp. Pertinent *illæ* vel ad *Imperatorem*, vel *Electores*, vel *Principes* & reliquos Status.

7. Quomodo ad Imperatorem?

Reſp. Quatenus ſolennia & ceremoniæ præſcriptæ in A. B. & aliis legibus fundamentalibus circa *Electionem* & *Coronationem*.

8. Quænam illæ ſunt?

Reſp. Cum nullis dubiis ſubjecta, nude recenſere illas non opus eſt. Optime poſſunt, una cum autopſia, addiſci ex *particularibus Deſcriptoribus Actuum noviſſimorum Electionis & Coronationis Imperatorum Leopoldi & Joſephi, tum & Imperatricis*, quales ſunt Sigismundus Ferrarius *Pecul. Deſcript.* & Deſcriptio in Append. der Grundſ. *Edit. noviſſ. vid. ſupra l. 2. c. 1.*

9. *Quæ-*

9. Quænam Ceremoniæ Electoribus legibus publ aſſertæ ſunt?

Reſp. Præter ſummam ipſorum in Imperio poſt Imperatorem, dignitatem, in *Aurea Bulla* iis conceſſam; *Splendor* ipſorum ſemet potiſſimum exerit in *Electionibus Imperatoriis*, ubi præter *functiones*, *Archi-Officii ſinguli* Electorum, *ſingulis*, in *eodem* cum Imperatore *Cænaculo*, accumbunt *menſis* ſeparatim ſtratis ſub *Uraniſcis* vel cælis portatilibus (unter *Baldachinen* oder Himmelen) conf. *A. B. c. 28.* proxime adſtante *Abaco vaſaria* (Schenck-Tiſch,) Regiæ magnificentiæ, ſupellectile aurea & argentea coruſcante. Quæ omnia in principum *mixtim in una menſa* aſſidentium apparatu haud conſpiciuntur. Wagenſeil. *de official. Imp. c. 9. §. 25.* Crüger. *de Novemvir. P. ſpec. m. 1. Diſc, 8. §. 5.* Furſtener. *de Supremat. c. 49.*

10. Quid circa Principes iuris præſcripti intuitu ceremonialium eſt?

Reſp. In legibus publicis ſigillatim aliquid peculiare conventum haud reperitur; niſi quod in iis eorum poteſtas & inde fluens dignitas ſalva ſit, & potentiores eorum, qui ſuprematu gaudent, honorem *Electoribus fere parem* ſibi vindicare ſoleant, de qua re *obſervantia* conſulenda eſt.

11. Quænam ſunt Ceremoniæ, quas obſervantia introduxit?

Reſp. Illæ iterum *duplicis generis:* Aliæ ce-

ceremoniæ, quæ Imperatori in *perſona* exhibentur; aliæ quæ ejus *Legatis*. Idem dicendum de *Electorum* aut *Principum* comparitione in *perſona*, aut per *Legatos*. *Prioris* generis ſunt *illæ*, quæ perſonis *Majeſtate* gaudentibus exhiberi conſveverunt, ratione *titulaturæ* aliorumque Curialium, nec Electoribus aut Principibus in perſona *multum minores* exhiberi moris eſt.

12. Quæ ſolennia ſi v.c. Elector vel alius Princeps Imperatorem Viennæ viſitet?

Reſp. Modus *receptionis ſolennis* tum & alia Curialia in *congreſſibus*, in *menſa*, *hoſpitio* ex peculiaribus deſcriptionibus ejusmodi Actuum ſolennium petendus eſt. Multum ad tollendam difficultatem ceremonialium lætam ſatis ſegetem, talibus occaſionibus ſuppullulare ſolitam, ſolet tribui *novæ amicitiæ*, ex ratione ſtatus *contrahendæ* aut veteris *renovandæ*.

13. Quid juris ceremonialis circa legatos obſervandum eſt?

Reſp. Vel Imperator, vel Electores, vel Principes *Legatos* mittunt. Qui cum a mittente & *repræſentato* ſuum ſplendorem accipiant, pro diverſitate dignitatum mittentium, diverſa ſunt etiam legatorum jura circa ceremonias.

14. Legati quomodo diſtinguuntur?

Reſp. In Legatos cum *charactere Repræſentatio*, *qui Ambaſſadeurs* vocantur; & *primi Ordinis* ſunt; & ſine charactere illo, cum honorifico tamen comitatu, qui *ſecundi ordinis* ſunt vul-

vulgo *Envoyes*. Diſtinctio eorum ex *literis credentialibus* ſumenda eſt.

15. Imperator num jus mittendi Legatos primi ordinis habet?

Reſp. Omnino. Quæ vero ſint curialia Imperatoriorum Legatorum in *comitiis*, pluribus exponit Kulpiſius *cit. l. c.17* & paſſim attingit *illuſtris* H. qui ſub *Presbeutæ* ficto nomine, de *jure Legationum* judicio *practico* egit, de quo vid. *Obſerv. Hall. tom.3. obſ.8.* In Aulis Regum, Electorum & reliquorum principum *debitis Ambaſſiatorum Ceremoniis* eos frui nullum obſervantia reliquit dubium.

16. Quænam illæ ſunt Ceremoniæ?

Reſp. Potiſſimæ eſſe ſolent: (1) Prima *viſitatio ſerius advenientis* a reliquis Legatis præſentibus. (2) Solennis *introitus* & ad *audientiam* deductio. (3) Facultas *tegendi* ſemet & *ſedendi*. (4) Titulus *Excellentiæ*, tam *Ambaſſiatori*, quam ejus *Conjugi* debitus. add. Kulpis. *de Jur. Legat. cap. XVI.*

17. Num Electores habent jus Ambaſſadeurs mittendi?

Reſp. Affirm. ſive *unum* ſive *plures* hoc charactere repræſentatitio inſtructos mittere placeat. Et fruuntur ipſorum Legati cum Charactere recenſitis modo honoribus, nulla parte excepta, in ipſa Aula Cæſarea & in plerisque Aulis Regum & Statuum liberorum, ceu exemplis omnium fere Aularum hoc probatum de-

dedimus in *Diſſ. de Jure Ceremoniali circa Legatos Sect. I.* Solus Rex Galliæ hactenus ſolennem *receptionem* & jus ſemet *tegendi in ipſius præſentia* Legatis Electorum concedere declinavit; quæ *moroſa irregularitas* in Ceremonialibus inde facile redargui poteſt, quod *Legati Italicorum principum*, quoad maximam partem, *Sub-Vaſallorum pontificis Romani* hoc jure *plene* apud ipſum fruantur. vid. Furſtener. *de Suprem. c. 37.*

18. Imperator ad Electores ſcribens num Fratrum titulo eos honorat?

Reſp. Fratris titulo, quo Rex Galliæ & alii Reges erga Electores utuntur, Ferdinandum III. Electorem Bavariæ, *Maximilianum*, aliquoties compellaſſe, ex Crügero *de Novemvir. P. Spec. m. 1.* obſervat ill. Dn. Klein. *Diſſ. de Prærogat. Princ. Imp. c. 2. n. 20.* Solennior tamen ſtylus Imperatoris eſt, quod Electores *Eccleſiaſtici* Neven; *Seculares* Oheims, ſalutentur. add. Rhetz. *I. P. l. 1. T. 7. §. 4.*

19. Legati Electorum primi Ordinis num Principibus in perſona præcedunt?

Reſp. Vi *capitul. Joſ. art. 5.* Legati Electorum omnium *Rerumpublicarum* liberarum & *Exterorum principum*, præter Regum, Legatis præferendi ſunt, etiam *principibus in perſona.*

20. Num Principes hoc æquo animo ferunt?

Reſp. Acriter reclamant, & ad *ſolas functiones ſolennes* in Electione & Coronatione hanc

hanc prærogativam reſtringunt, in aliis congreſſibus ipſi in perſona præcedentiam præ Legatis Electorum prætendunt. Kulpis *de Jure Legat. c. 14. §. 14.*

21. Electorum Legatis ſive Ambaſſadeurs in Comitiis, principes aut eorum legati num tribuunt Titulum Excellentiæ?

Reſp. Neg. licet ab Imperatore & exteris Regibus iis tribuatur, vid. Kulp. *cit. l. c. 16. §. 16.*

22. Principes num habent jus mittendi Legatos primi Ordinis ſ. Ambaſſadeurs?

Reſp. A tempore Pacis *Neomagenſis* hoc maxime controverti cœpit, dum a Gallis & Anglis ipſorum Legatis hoc jus & eo pertinentes Ceremoniae controverſae redderentur. Anſam hoc ſuppeditavit cuidam Miniſtro ex Aula H. ſub *Cæſarini Furſtnerii* nomine *elegantem tractatum de Jure Suprematus & Legationis Principum Imperii* edendi.

23. Num Electores principibus jus mittendi Ambaſſiatores concedunt?

Reſp. Neg. Hinc de honore *primæ viſitationis*, titulo *Excellentiæ*, honoratiore loco, aliisque Ceremoniis copioſae inter illos lites. vid. Kulp. *c. l. c. 10. ſ. 12.* Exempla recentiora vide in *Electis juris Publicis curioſis cap. 7.*

24. Nihil ne præterea obſervandum eſt circa jus Ceremoniale publicum?

Reſp.

Reſp. Totum apparatum omnium Ceremoniarum, quod omnes minutias *paſſuum*, *carpentorum*, *ſellarum* & ſimilium, niſi omnium Aularum *Ceremonialibus libellis* inſtruct..., & præterea *praxi ipſa* multorum annorum confirmato, luci exponere impoſſibile foret. Illuſtrem Dn. Beſſerum, ſupremum Officiorum Magiſtrum in Aula Regis Borusſiæ, abſolutos, de *jure ceremoniali*, Commentarios meditari, fide Dn Ludwigii *de jure Adlegandi Princ. Imp. proœm. & cap. 4.* nititur.

CAPUT II.
DE
FORMA IMPERII.

AXIOMATA GENERALIA.

1. Forma illius Reipublicæ politice perfecta non eſt, in qua *exercitium jurium Majeſtaticorum* omnium non dependet ab *una voluntate*.
2. Quæ tamen etiam in *ſyſtematica forma plurium civitatum* communi fœdere ſociatarum, in negotiis, quæ per pacta communibus ſuffragiis determinanda ſunt, obſervatur.
3. Manca *Ariſtotelis Politica*, quia de *ſyſtematico civitatum regimine* in illa nil deprehendatur.
4. *Illuſtratio* Formæ Imperii deſumi poteſt ex Diſcurſu Thuani *l. 2. Hiſt.* ubi cum *Amphictyonum* Conſeſſu Græciæ & Gothofredi *in Achaic.* ubi cum *Achæorum Concilio* Germaniæ *Comitia* comparantur.
5. Intricata Diſceptatio de *Forma imperii noſtri* clara evadit, ſi definitio Syſtematis Civitatum applicatur Statuum poteſtati in *Comitiis* & *Territoriis*.

F. De forma Imperii non judicandum eſt ex externis *Sche-*

fertur. Quæ forma, ſi hæc poteſtas *uni* collata, *Monarchia;* Si *Nobilioribus*, *Ariſtocratica;* Si *omnibus civibus*, *Democratia* vocatur.

4. *Quæ ſunt civitates compoſitæ?*

Reſp. Quando plures Civitates ſive Respublicæ *ſui juris* ſunt, & *ſeorſim* ſummum imperium civile exercent in ſuis diſtrictibus; ita tamen, ut *quædam* ejus *partium potiſſimarum*, & quibus ſalus communis *efficaciter* promoveri poteſt, *ab omnibus ſimul* in actum deducantur. Qualia *ſyſtemata civitatum* occurrunt apud *Belgas* Fœderatos & *Helvetios*.

5. *Ad quam formam recenſitarum civitatum pertinet Imperium noſtrum?*

Reſp. *Exacte* quadrat ad *nullam*. Qui cum Stamlero, Reinkingio, Lynkero, Germaniæ formam *Monarchicam* aſſignant, ſuo merito vapulant communiter. Qui vero cum Hippolito a Lapide ex imperio *meram Ariſtocratiam* faciunt, impingunt in prima principia politices. Civis *Ariſtocraticus* extra commune ſuffragium de ſumma rei *privatus eſt;* Status vero extra Comitia ſummi imperantes in territoriis ſuis. Qui vero *Democraticam* formam imperio tribuerit, ſe nondum vidiſſe dicit Monzambanus *c.5. §3.* Perſonatus quidam *Relfenſo Heromontanus* Germaniam *Politiam* eſſe contendit, caſtigatus a *Teutoburgico*, ſive cl. Schurtfleiſchio, juxta opinionem communem.

6. *Sed nonne forma ex biſce mixta Germaniæ compet ?*

Reſp. Ita exiſtimant, qui *ſobrie* heic philoſophari, & *caute* incedere circa *capitalem hanc quæſtionem*, uti eam vocat Bœclerus, geſtiunt. Juxta hoſce *Monarchico-Ariſtocratica* forma per Leges Imperio aſſignanda eſt. An vero Monarchia, an Ariſtocratia præponderet in hac *mixtura*, inter Antiſtites hujus ſententiæ non convenit; illud Bœclero *Not. Imp. l. 22. c. 1. ſqq.* Carpz. *de L. R. c. 13. ſ. 9. n. 1.* Hoc Limnæo ſtrenue aſſerente.

7. *Quænam ex hiſce aſſertionibus applauſum meretur?*

Reſp. *Nulla.* Quamuis enim de felicitate iſtiusmodi *mixtæ formæ* communiter ſat magnifice multa ſoleant adduci, revera tamen impingunt Aſſertores illius inprima principia omnium Rerumpublicarum. Regula fundamentalis omnium civitatum, quæcunque forma ſit, eſſe debet: *Maieſtas eſt una in civitate & indiviſibilis, plures partes potentiales circa diverſa obiecta occupatas habens, quæ omnes ſub ſummi Imperii notione in unam voluntatem influunt.* Ergo quando *duæ* vel *plures voluntates* circa exercitia jurium majeſtaticorum concurrunt, ubi una ab altera diſſentiens iure cogi non poteſt v. c. ſi unus independenter haberet ius *belli*, alter *contributionum*, tertius *legum ferendarum* poteſtatem - forma illius Reipubl. *mixta* valde irregularis, nec ad ſcopum civitatum obtinendum idonea futura eſſet.

8. Sed

8. Sed tamen in communi totius corporis Germanici regimine, videtur talis mixtura Monarchico-Ariſtocratica admittenda eſſe;

Reſp. In quæſtione circa Formam Imperii *duo* conſideranda ſunt, (1) Regimen *commune* per Imperatorem & Status, (2) Regimen *ſeparatum in territoriis.* Quando imperator concurrit cum ſtatibus in *exercitio communium Imperii jurium*, præferentia aliqua & major autoritas ipſi ſalva eſt; ſed hoc *formam Germaniæ non immutat*, cur minus Syſtematica eſſe poſſit. Sic provinciæ *Hollandiæ* in congreſſu *Statuum Generalium* Hagæ majorem autoritatem in decernendo eſſe, quam reliquarum, ob collationem ſumptuum neceſſariorum, dimidiam partem fere excedentem, ex prudenti libello: *Intereſſe Hollandiæ*, ſatis patet. Verum quod, ſalva ſuperioritate territoriali, Germania ad *unam Rempublicam* referri poſſit, & quod *intuitu hujus*, tanquam *partis potioris*, de Forma Imperii diſſerendum ſit, hoc eſt, quod *illi*, qui cum Conringio *de negot. conv. Imp.* §. 24. & aliis locis, quamvis ſtudio obſcure, Monzambano *de Stat. Imp. cap.* 6. Rachelio *de capitul. cap.* 6 §. 7. B. Schiltero *Inſt. I. P. paſſim* & inter exteros JCtos, Ulrico Hubero *de iure civit. Sect. II. cap.* 2. Germaniam, ratione formæ imperii, ad *ſyſtematicam formam* referunt, *contendunt*, quod tamen ab *unitariis*, ut ita dicam, in jure Publico, in hac quæſtione, quod potiſſimum eſt, nimirum, Re-

gimen particulare territoriorum independens, aut *diſſimulatur*, aut frigide tangitur.

9. *Num itaque perfectum ſyſtema politicum in forma Imperii noſtri deprehenditur?*

Reſp Quænam proprie & ad politiæ perfectam formam Syſtematicam plurium Civitatum, requirantur, nullus magis ſolide expoſuit, quam Huberus *all. 1.* Sed occurrunt circa ſtatum Imperii publicum, quæ cum *Ordinariis Regulis Syſtematicis* haud conſpirant. Convenit interim in *conceptu eſſentiali*, explicato in *quæſt. præced. 4.* quod complectatur plura *corpora libera* ſumma poteſtate gaudentia in ſuis territoriis negotia totius Reipublicæ communi ſuffragio decernentia. Diſcrepat viciſſim tum (1) externis *Schematibus Monarchicis* (2) quod non *una vice*, uti regulariter fieri ſolet, ſed per varias fluctuationes, ſucceſſive in tali forma ſubſederit. (3) Expreſſum fœdus Syſtematicum, uti in Belgio *Pactum Ultrajectinum* non adſit, bene tamen *Leges fundamentales* hoc *virtualiter* & tacite ingerentes. (4) Quod *inæquales vires* haud paucorum membrorum *inconcinnitatem quandam Syſtematis ſocialis* inducant, & ob multitudinem eorum *nexus communis laxior* appareat, quam in bene ordinatis Syſtematibus civitatum alias obſervatur. Annon vero utile Germanico imperio, ad fortius propelle dum vicinorum formidandam potentiam futurum eſſet, ſi *multitudo imbellium Statuum potentioribus ſubiiceretur;* alia

alia quæſtio eſt, ad caput de *ratione ſtatus* pertinens. Interim iniquitatem, quæ ejusmodi magno *revolutionis* exemplo adhærere videtur, utilitate publica rependi poſſe, nonnullis forſan opinio adrepit.

10. Ergone Germania non eſt una ciuitas?

Reſp. Fluit hoc ex præcedentibus, quicquid etiam Kulpiſius in *diſſ. de Unitate Rep. in Germ.* in contrarium afferat, a quo adhuc probatio deſideratur, quod, quæ pro ſua opinione allegat, *de exercitio communium jurium in comitiis* & *iudiciis Imperii*, ſalva ſyſtematica forma conſiſtere non poſſint; & jura Majeſtatica vicisſim ab *unica* perſona ſiue moraliter ſive phyſice conſiderata, in omnibus territoriis, exerceri, quod ad *unitatem ciuitatis* tamen requiri, apud civilis prudentiæ ſcriptores, præjudiciis non captos, in confeſſo eſt. vid. Huber. *l.c.*

11. Verum hac ratione corruet vulgaris opinio de quarta Monarchia in Germania noſtra hærente & duratura ad conſummationem ſeculi?

Reſp. Per nos licet repudium mittere communi explicationi de quatuor monarchiis in *Coloſſo Danielis* repræſentatis, quippe quam plus famæ quam veri habere, Conringius dudum demonſtravit, nec viſio prophetica ultra *Statum Eccleſiæ Judaicæ*, durantibus imperiis Ethnicis, videtur extendenda.

12. Num vero opus præciſe eſt operoſa & intricata disquiſitione de forma imperii?

Reſp. Sunt, quibus *mera curioſitas* videtur, brevibus terminis technicis univerſam compagem ſive ſtructuram & faciem totius ſtatus Imperii per tot membra diffuſi, ante oculos repræſentare. Sane ſi in eo conveniatur: quid *Imperatori*, quid *ſtatibus* juris circa regimen tum *commune imperii*; tum *particulare* territoriorum eſt, quod ex pactis ſive legibus fundamentalibus evidenter deduci poteſt; perinde videtur, per quam *mixturam*, *ſimplicem* vel *compoſitam*, in quæſtione politica de Forma Imperii ſemet explicent Doctores Juris Publici. Quamvis fatendum ſit, quod circa philoſophiam hanc multi cordatioribus prodiderint *divitias memoriæ*, ſed *paupertatem judicii*.

CAPUT III.
DE
RATIONE STATUS IMPERII GERMANICI.

GENERALIA AXIOM.

1. *Ratio ſtatus* nobis non denotat in ſenſu *Italicorum ſcriptorum* quorundam, modum quendam *obliquum* a juſtitia & legibus deflectentem, ad tuendum ſtatum publicum, vel avertendo *malum* magnum, vel ſubſtituendo *minus*.
2. Sed *innoxiam* utilitatis communis in imperio promotionem.
3. *Textoris* & aliorum Remedia pro ratione ſtatus Germanici *inſufficientia* ſunt malo eradicando.
4. Nævi & defectus ſtatus imperii tempore *Belli* magis conſpicui ſunt, quam *pacis*.

5. Cu-

5. Curandum itque, ut pro poſſibili *res militaris* in imperio in meliorem ſtatum reducatur.
6. *Emendatio ſtatus eccleſiaſtici* & *politici* a cujusvis ſtatus prudentia & arbitrio in ſuo territorio pendens, *communem etiam rationem ſtatus* optime promovet.

Quæſtio I.

Quid eſt ratio ſtatus Imperii Germanici?

Reſp. Prudentia promovendi juxta Regulas Politicas quod Germaniæ *utile*, & viciſſim e medio tollendi, quod ei *notabili nocumento* eſt.

2. *Num hæc conſideratio ad Jus publicum pertinet?*

Reſp. *Jus* h. e. leges & conſvetudines ſtatum Imperii publicum concernentes theoretice explicari poſſunt; & *monita prudentiæ ſeorſim*; in uſu tamen & applicatione juris, neutra quæſtio ab altera velli debet, nec jus a prudentia. conf. Schilt. *Inſt. I. P. L. 1.* Hoc intuitu multa moneri poſſent, ſi intentio foret conſiderare ſtatum *formandum* Imperii, non *formatum*; qui ultimus & quid ei conducat, paucis diſpiciendum erit.

3. *Num multum ſpei in conſiliis circa rationem Status Germaniæ, collocandum eſt?*

Reſp. Laboranti Germaniæ ſalutaria conſilia ſuppeditare haud pauci ſusceperunt; cum plerisque vero ita comparatum eſt, quod, licet ſpeciem utilitatis primo intuitu præ ſe tulerint,

impracticabilia tamen poſtea inventa ſint, genio negotiorum imperialium refragante.

4. *Quid vero cauſæ, quod vitia illa, Reipublicæ vtilitatem impedientia non eradicata ſint?*

Reſp. Pleraque non ſunt vitia *hominum*, ſed *nævi ſtatus formati* & *irregularitatis* formæ imperii adhærentis, quod ulcus tangere, pro philoſophia invidiæ & periculo facile obnoxia reputatur ſecundum judicium magis politicum quam ſincerum B. Kulpiſii *ad Monzamb. c.* 7. §. *1*.

5. *Nonne tamen illi nævi & vitia ſtatus publici ſpecialius a nonnullis recenſita ſunt?*

Reſp. Famoſus ille ſcriptor tempore belli Tricennarii, Hippolitus a Lapide, *Tr. de Vera Ratione Stat. Germ.* incommoda quædam & mala Imperii ſatis palpabilia adduxit, interim odii & aliorum affectuum veſtigia manifeſta in eo deprehenduntur, quod Archi Ducali Auſtriacæ Domui cauſam eorum unice adſcribendam putaverit ejusque *extirpationem* ſuadere auſus fuerit, caſtigatus a Monzambano *de Stat. Imp. c.* 7.

6. *Nonne a Monzambano morbi quidam imperii annotantur?*

Reſp. Varii, inter quos potiſſimi, *mutua illa renitentia* inter Imperatorem & Satus: *Laxitas vinculi communis*; Statuum inter ſe *occulta odia* & diſtractiones animorum, tum ob *diverſita-*

ſitatem religionis ; tum ob *inæqualitatem opum.* Verbo: Tempore *Pacis* incommoda illa ſtatus Germanici *utcunque* tolerabilia ſunt; quæ tempore *Belli* non poſſunt non omnium oculos incurrere, quæ propterea grauiter repræſentantur ab eodem, ſive Pufendorfio *in Diſſ. de republ. irregul.* §. 27. his verbis: *In publicum lenta & frigida conſilia ſunt, dilatandæ reipublicæ nulla facultas, imo defenſio adverſus invaſionem exterorum hic fere languet, dum qui ab hoſte paulo remotior eſt, iſtas clades velut alienas aſpicit, & tarde demum ac poſt longas ſollicitationes, maligna auxilia molitur.* Utinam veritatem hujus morboſi Status Imperii quotidiana experientia non loqueretur! Sciunt hoc hoſtes Imperii & impune hactenus eidem inſultare conſveverunt. Conqueruntur & dolent hos nævos Socii & Amici ejusdem. Ex eorum numero merentur adduci Literæ *Præpotent. Dom. Statuum Generalium Belgii foederati ad Imperii Legatos Ratisbonnæ congregatos d. 28. Nov. 1707.* in quibus illa leguntur: *Qu'il étoit ſurprenant, que lors que les Ennemis eurent penetré jusques dans le Coeur de l' Empire, il ſembloit qu'on n'y prit aucun interet, & qu'on n s'êtoit pas ſeulement remué pour aſſembler des ſecours ſuffiſans pour redreſſer l' etat des affaires, mais qu'on n' avoit employé tout l' Eté qu' a deliberer & former une reſolution, pour etablir une Caiſſe Militaire de 200000. Risdales (dont on attend encore l' execution) dans le temps, que les*

Enne-

Ennemis avoient tiré pluſiers Milions de l'Empire, leſquelles ont devoit plutot avoir donné volontairement & de bon coeur pour ſa propre defenſe.

7. *Num vero cum officio boni civis convenit, nævos Status detegere?*

Reſp. Scrupulus hic Bœcleri eſt, reliquis ejus præjudiciis intempeſtivis annumerandus. Boni civis enim officium haud conſiſtit in falſa ratiocinatione, aut inepta diſſimulatione malorum, quæ *quotidie in oculos incurrunt*, ſed in *patiente tolerantia*, donec cum Deo & die in melius fiat mutatio, conf. *I. P. Prud. diſſ. XII.*

8. *Quænam vero remedia contra recenſitos nævos adſunt?*

Reſp. Idem Monzambanus media curandis hiſce morbis ſuppeditat, non quæ *originem mali* tollant, ſed impediant, ne plane morbi iſti exitium Imperii promoveant. Hinc §. *4. c. 7.* commendat regulas, quæ *Sociis & Fœderatis Rebuspublicis* conducunt, obſervandas, urget præterea *Concordiæ* ſtudium, & ut inter diſpares opes par ſit omnium libertas.

9. *Num hæc, ut exacte obſerventur, ſperandum eſt?*

Reſp. Quæ idem Autor Hippolito occinit §. præced.: *Hoc remedium declamationi Scholaſticæ copioſum poteſt præbere argumentum, in uſum autem Reip. Germanicæ tum demum applicari poterit, quando omnes Germaniæ proceres ſapere incipient, & animi motus ad leges philoſophicas*

cas exacte attemperare; huius rei ſpem exiguam relinquunt.

10. Ergo generalibus iſtiusmodi remediis parum lucrabitur ratio ſtatus Germanici?

Reſp. Ita videtur ob difficillimam eorum applicationem in praxi, quia varium intereſſe & multiplices Adſpectus politici concurrere ſolent, ſi generalis emendatio, licet ab omnibus neceſſaria reputetur, in actum deducenda eſt. Interdum tamen ſumma neceſſitas & cervicibus incumbentia arma hoſtilia promovent generalem aliquam ſtatus bellici emendationem. Et ſane quo morbidus Status Imperii tempore belli manifeſtior; eo magis conſultum, ut in *comitiis*, tum & Aulis Imperatoris & potentiorum Statuum, ab *emendatione rei militaris & ærarii initium fiat*, ne ob neglectam hanc curam hoſtium vicinorum ludibrio & inſultibus Imperii Majeſtas, quam non ſolum *Ottonum* & *Henricorum*, ſed & *Caroli V.* temporibus *comiter revereri* viciniş moris erat, in poſterum exponatur, & impune laceſſi poſſit, ceu *Argentorati* ereptio, *Reuniones Metenſes*, aliaque multa inulta propudioſam refricant memoriam.

11. Sed quomodo tempore Belli imperio conſuli poſſe videtur?

Reſp. Juſto & ad proportionem virium hoſtilium aucto Exercitu, omnibus ad bellum, more hodierno gerendum, neceſſariis requiſitis inſtructo, ac cum nervus rerum gerendarum pecu-

cunia ſit, cura *ærarii Imperii* inter primas merito reponenda eſt, tum & Exercitui variorum Dominorum Copiis inſtructo, Dux *autoritate* in imperio; tum & *copiis* & *opibus* propriis prævalidus, reique bellicæ gnarus, præponendus eſt. Quod cum olim Decreto comitiali factum, & *Electori Hannoverano*, Principi fortitudine bellica inſigni, cura ſuprema *Exercitus imperii* commiſſa fuit, ſpes affulſit haud exigua rei contra hoſtes imperii magis proſpere in poſterum gerendæ: ſi modo generoſos conatus inclyti Ducis ſolitus torpor membrorum imperii in ſalute publica promovenda, non ſuffocaſſet.

12. *Nonne vero etiam ab emendatione particulari Territoriorum felicitas & ſalus totius ſimul promovetur?*

Reſp. Quia ob diverſa ſtudia reformatio in melius *communibus conſiliis* imperii peragenda vix expectari poteſt; Robur Imperii incrementa etiam accipiet, ſi vel nonnulli Status utilitatem particularem & veram Rationem Status ſuarum Provinciarum curæ cordique habeant.

13. *Qua ratione hoc commode fieri poſſet?*

Reſp. Si ſtudeatur emendationi Status *eccleſiaſtici & ciuilis*, & uterque attemperetur ad tranquillitatem & felicitatem communem.

14. *Quomodo emendatur ſtatus eccleſiaſticus?*

Reſp. Si, quæ competit Majeſtati civili poteſtas circa *Sacra*, eo dirigatur, ut *Ceremoniæ* & *Cultus divinus externus* ad devotionem internam excitandam ſit accommodatus; *Libertas*

con-

conſcientiæ circa *myſteria fidei*, cuivis, ea non ad turbas abutenti, relinquatur illibata; *Diſſentientes in religione* mutuis *odiis* aut *conviitiis* ſemet proſcindere, ſevere prohibeantur; & denique ita provideatur, ut *eccleſiis miniſtri* præficiantur, non ſolum *docti*, ſed etiam *pii*, & qui non tam pugnandi de controverſis articulis periti, *quam regulam Chriſti edocti, eamque ſua converſatione* ad communem ædificationem auditorum *exprimunt*, quibus verbis incomparabilis Cancellarius Mompelgardicus, *Forſtnerus*, emendationem Status Eccleſiaſtici commendat *Ser. Duci Brunſvicenſi in Epiſt. p. 189.*

15. Quomodo Status Provinciarum Civilis florentior reddi poteſt?

Reſp. Per *Commerciorum* curſum florentiorem redditum, unde *Anglorum* & *Belgarum* imo & Gallorum opes, præ reliquis partibus Europæ conſpicuæ. Et cum Germaniæ ſolum affatim producat, quod ad *humanæ cultum* facit, ceu ſolerter indagant Monzamb. *de Stat. Imp. c. 7. §. 1.* ut & Beccherus *Conſil. Cameralis Cæſareus in curioſo libello*, von Aufnahme Teutſcher Stådte und Lånder, Principes, qui commodo ſuarum Provinciarum ſtudent, proſpicere debent, ut *illa omnia*, quæ territorium fert, *uſibus rite applicentur*, eum in finem *opifices artium variorum* & *Manufactuarii*, ut ita dicam, aliunde lautis conditionibus & privilegiis invitandi, nec tribulationibus Tribuum (der Zünffte) ſunt ſubjiciendi,

&

& peregrinis mercibus, quantum fieri poteſt, pecuniæ conſervandæ ergo, abſtinendum eſt, de qua re pluribus in *Diſſ. de Incrementis Urbium Germanicarum, Halæ 1703. actum eſt.*

16. Nonne plura media in promptu ſunt?

Reſp. Nullum de hac re dubium eſt, verum cum hæc partem conſtituere ſoleant ſanctiorum Conſiliorum in Aulis; Generalis hæc tractatio ſufficiat loco Coronidis.



Digitized by Google

Digitized by Google

005656715